A. Varenius.
(J. Hudemann.)
Rationarii theologici de Scriptoribus ecclesiasticis dissertatio IV.

Rost. 1668.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

1,-371.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 01684 X

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

RATIONARII THEOLOGICI,

De Scriptoribus Eccleſiaſticis DISSERTATIO IV.

Judicium publicans de ſic appellatis

APOSTOLORUM CONSTITUTIONIBUS, LITURGIIS, ACTIS, PASSIONIBUS,

Quæ poſteriora ſub ABDIÆ, Presbyterorum Achajæ, PROCHORI, LINI, EVODII, ſanctiorum, vetuſtiſſimorumq; Virorum Apoſtolicorum nomine feruntur.

Quam

Moderatore DEO Opt. Max.

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO.

D. Prof. Theol. Sereniſſ. Duc. Mekleb. Conſiliario Eccleſiaſtico, h. t. Collegii Theol.

DECANO.

Publicæ collationi d. 26. Septemb. hor. ab 8. antemer.

In Audit. Magno.

ſubmittet

JOHANNES HUDEMAN,

Crempenſis.

ROSTOCHII

Typis Jacobi Richelii, Sen. Typogr.

ANNO cIↄ Iↄc LXVIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

PER-ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO
COMITI AC DOMINO
DOMINO
DETLEVO
COMITI IN
RANZOV,
DOMINO in Breitenburg,
S. REGIÆ, Majeſt. Dan. & Norveg.
Conſiliario & Pro-Vicario in Ducatibus Schlesvici & Holſatiæ eminentiſſimo,

COMITI AC DOMINO
MEO GRATIOSISSIMO.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

PERILLUSTRIS COMES.
DOMINE GRATIOSISSIME.

LÆſæ piaculum pietatis foret, MÆCENATIBUS nullam remetiri gratiam, iis præprimis, qvorum tàm luculenta extant in nos beneficia, qvàm virtutes eminent, ſic, ut, qvas in ſingulis admiramur ſingulas, in illis ſuſpiciamus & veneremur cunctas. Tua, PERILLUSTRIS DOMINE, in me meosq; beneficia, tanta ſunt, ut penicillū calamumvè longè ſuperent meū. Virtutes autem tàm eminentes, ut nec Lyſippus illas ſculpere, nec Apelles in tabellâ pingere poſſet, nec illis canendis Homerus, ſi ſupereſſet, ſufficeret. Has inter eminet, qvæ te COMITEM decet, liberalitas, qvam ingenti magnificaq; pollicitatione beneficii, ſtudiis meis conſecrandi, nuper coràm pollicitus es venerando meo Dno. Parenti, teſtatus hoc ipſo veteres nec minùs clementes in me

animos,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

animos, adeò, ut nota animi immemoris fronti impingi meæ poſſet, ſi non ſedulus in id incumberē, ut publico qvopiam teſte documento gratias humillimas agerem. Cum igitur publicè hanc Diſputationē in Roſeto hoc Varno-Baltico defendendam nunc ſuſceperim, ad Tuos, GENEROSISSME DOMINE, pedes humillimo adfectu illā depono, tuæq́; perilluſtri clementiæ ſubmiſſiſſimè dedico. Accipe, COMES GENEROSISSIME, ſereno vultu chartaceū hoc munuſculum, etſi infra merita virtutesq́; tuas, ac mihi ſtudiisq́; meis Academicis è ſublimi tuâ ſpecula clementer ſic porrò proſpice. Deū Ter Opt. Max. ut Te, cum Illuſtriſſimâ tuâ domo, aucta nuper Hærede Illuſtri (cujus Nativitatē Tibi gratulor) publico Holſatiæ bono Neſtoreis annis ſalvū incolumēq́; præſtet, capite nudo veneror.

Roſtochij ex MESOSELENIO
d Septemb. Ao. 1668.

Perilluſtrem tuam Generoſitatem
humillima animi ſubmiſſione
devotisſimè colens
Johan. Hudeman.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

CONSTITUTIONES APOSTOLORUM.

§. I.

SIqvod ſub magnifico primi ſeculi Schemate, & vel ipſorum Apoſtolorum nomine ſcriptum incedit, hoc ſanè, qvod ſub *Conſtitutionum S. Apoſtolorum B. Clemente Rom. Autore*, nomine celeberrimo tot ſeculis, opus extitit, memorandum venit, cujus tàm magnificum exordium, qvæſitumq́; tanto conatu πιθανὸν autoritatis Apoſtolicæ, qvantum nec alibi facilè, nec in ipſis, ὡς ἐνομίζοντο, *Canonibus Apoſtolorum.* Licet enim in his reperiatur aliqvoties illud: *Dicimus*, *præcipimus*, & qvidem *omnibus Clericis ſimul & laicis* e. c. Can. 41, 81. 85. ac, ut Autores Canonum illorum præſumantur Apoſtoli, ſtylus fingatur Apoſtolicus e. c. Canone 85. (84.) ubi & ingenti Proſopopoeiâ finguntur Apoſtoli, tùm *ſuos libros velut venerandos & ſacros*, tum hos ipſos *libros octo præceptionum* ſ. Conſtitutionum, qvæ (verba ſunt Canonis) *vobis Epiſcopis per me Clementem nuncupatæ ſunt, etſi omnibus publicare non oportet ob quædam arcana, quæ in ſe còntinent*, Eccleſiæ omnium temporum locorumq́; commendare, qvin & Canone 30. (ubi in caſu Simoniæ, *& Ordinatus & Ordinator*, non ſolùm ἀφορίζεται ſ. ad tempus *ſuſpenditur*, prout in Canone 6, 13. 37. non ſolùm καθαιρεῖται ſ. *deponitur*, prout Can. 6, 23. 25. 28. ſed & ab omni tam Clericorum, qvàm Laicorum communione παντάπασιν ἐκκόπτεται i. e. *totaliter & modis omnibus abſcinditur*) videatur ipſe Petrus Orator & Canonis Autor, dum ſic loqvitur: *Sicut à me Petro* ἀπ' ἐμοῦ πέτρου, *excommunicatus eſt Simon Magus*, tamen præeminet omnibus his exordium

Conſtitutionum (qvas ſic appellant) Apoſtolicarum qvod ſic habet: *Apoſtoli & Presbyteri omnibus, qui ex gentibus crediderunt in Dominum Jeſum Chriſtum: Gratia vobis & pax ab omnipotente Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum abundet in cognitione ipſius.* Talis ſc. inſcriptio Catholica character erat Autoritatis Apoſtolicæ, qvalem adeò fingere voluit, qvisqvis ille Pſeudo-Clemens, ut mirũ, auſum Joh. Carolum Bovium Epiſcopum Oſtunenſem, qvi 8. illos libros ex Græcis Latinè convertit, & Scholia ſingulis addidit, in ipsâ præfatione confidenter adeò ſcribere: *In his libris contineri illas traditiones, quas Apoſtoli in Eccleſiis, in quibus Evangelium annunciaverunt, ſermone, non ſcriptâ inſtitutione tradiderint*, & de qvibus Paulus intelligendus, ſcribens 1. Cor. 11, 34. *cætera cum venero,* διατάξομαι ſ. *diſponam* & 2. ad Theſſ. 2, 15. *Tenete traditiones, quas accepiſtis per ſermonem*, qvas adeò *traditiones*, ab *Apoſtolis nullis literarum monumentis commendatas collegerit in unum Clemens Pauli familiaris ac Comes, atque 8. libris digeſſerit, ſicut in illis complexus fuerit cultum Dei, ritus ſacrorum, ceremonias, obſervationes, ordines, ſtatum Eccleſiæ, & præcepta ad eum pertinentia*, qvi idem occupat argumentum noſtrorum qvorundam, mirantium *Clementem Virum Romanum & Latinæ Eccleſiæ Epiſcopum Græcis magis, quàm Latinis literis edere voluiſſe, & ſcripta tam ſancta de legibus & inſtitutis ab ipſis Chriſti Apoſtolis ad eccleſiam gubernandam latis, per tot ſecula delituiſſe, ac circa Sec. XV. demum & quidem in Inſulâ Creta à Carolo Capello Veneto Græcè, reperta fuiſſe, quæ ſi ab Epiſcopo Romano Apoſtolorum Auditore & Comite edita olim fuiſſent, non in Cretâ: Sed Romæ potiùs, nec deliteſcere: ſed ibidem velut glorioſum depoſitum cuſtodiri debuiſſent.* Reſpondet autem: *fuiſſe Clementem Atticiſmi peritum & ſtudioſiſſimum, ac divinitùs hos libros hoc tempore oblatos, quo oppugnatur le-*

gum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

gum eccleſiaſticarum autoritas, in dubium veniunt Apoſtolicæ traditiones, labefactantur ſacra.

§. 2. Hos ipſos ſub Clementis nomine libros 8. Græcè primùm, dein Latinè explanatos edidit, vehementiſſimeq; propugnare allaboravit Fr. *Turrianus Jeſuita* allegato qvoq; Photio: qvi tamen non adeò commendavit: ſed agnovit, *tribus ex capitibus videri obnoxias reprehenſioni* 1. ex κακοπλαςία ſ. *malâ fictione.* 2. *Ex adducta contra Deuteronomium criminatione.* 3. *ex Arianiſmo*, etſi de ſolutione non deſperavit, qvam proinde Fr. Turrianus in Prolegom. præſtare allaboravit. Cum Turriano ſenſit idem Staplet. l. 2. de Eccl. art. c. 11. qvi appellavit illas *Spiritu Apoſtolico pleniſſimas.*

§. 3. Non dubium, qvin Gelaſio idem judicium de his fuerit *Conſtitutionibus*, qvod de Canonibus, qvi *de toto libro Canonum*, (ſub qvo etiam continebantur, qvi in *Canone 85.* ſub Clementis, velut & *Canonum* & *Conſtitutionum* autoris nomine commendantur, octo libri conſtitutionum, prout in libro Conſtitutionum ſimùl libellus *Canonum*, teſte Photio) pronunciaverat: APOCRYPHUS. Sanè, etiam qvi Canones 85. & adeò ultimum illum admiſerunt, prout Patres Synodici in Trullo, tamen has conſtitutiones velut *Apocryphas* rejecerunt, multò magis autem, qvi ſive *nullos* receperunt, ſive *ſolùm 50. priores*, prout ferè Romani. Ita Concil. 6. gen. c. 2. poſt receptos S. Apoſtolorum nomine Canones 85. ne viderentur ſic obligati ad receptionem *Conſtitutionum*, qvas commendat Canon 85. vel 84. proteſtati ſunt contra has, & ſeqventia addiderunt: *Quoniam in his nobis Canonibus præceptum eſt, ut eorundem S. Apoſtolorum per Clementem conſtitutiones ſuſciperemus, quibus jam olim, ab iis, qui à fide aliena ſentiunt, adulterina quædam & à pietate aliena introducta ſunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem & venuſtam ſpeciem*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

obſcurarunt, has conſtitutiones ad Chriſtianiſſimi Gregis ædificationem ac ſecuritatem utiliter rejecimus, hæreticæ falſitatis fetus nequaquam immiſcentes, & germanæ ac integræ Apoſtolorum doctrinæ inſerentes. Admittimus hoc Patrum de *Conſtitutionibus* magis qvàm Canonibus illis judicium ſc. eſſe qvidem in illis, vetuſta temporibusq́; Apoſtolorum propiora qvædam: cæterùm ſic *ab hæreticis*, vel ceremoniarum Magiſtrîs, inſertis longè plurimis adulterinis & à pietate alienis, corruptos libros, auctosq́; ut propter illos *hæreticæ falſitatis fetus*, integrum hodie haut ſit illos ipſos commendare, nedum Apoſtolicæ autoritatis & Clementinæ illius compoſitionis laudem illi arrogare.

§. 4. Ex Pontificiis Baronius ad a. D. 102. ſect. 9. *ſicut,* inqvit, aliqva, *quæ in iis Conſtitutionibus ſunt, hæretici perperam ſunt interpretati, ita & ab his multa fuiſſe corrupta Canon VI. Synodi teſtari videtur. Aliqua inſuper in eas ex Græcorum fontibus affluxiſſe, mihi facilè perſuadeo, ut quod de jejunio Sabbathi penitus interdicto* in ipſis habetur *expreſſum.* Bellarminus autem eò inclinat, ut opus *Conſtitutionum* non alio loco habendũ ſtatuat, qvàm *Recognitionum*, ſc. utrumq; *Apocryphũ. In Eccleſiâ,* inqvit; *Latinâ nullum ferè nomen habent: & ipſi etiam poſteriores Græci, in concilio Trullano.* Can. 2. *improbant has conſtitutiones, ut ab hæreticis depravatas. Æthiopes his conſtitutionibus utuntur, ut verè Apoſtolicis, & eâ de causâ in erroribus verſantur circa cultum Sabbati, & diei Dominicæ & circa miniſtrum Sacramenti. Nam* l. 7. c. 2. *jubent ſervari diem Sabbathi & Dominicæ &* l. 5. c. 10. *prohibetur abſolutè, ne Laici baptizent &* l. 6. c. 15. jubent *baptizari eos, qui baptizantur ab hæreticis, eâ de causâ, quia hæretici non ſunt ſacerdotes.* Ita Bell. l. 2. de R. P. c. 2. *Libri recognitionum Apocryphi cenſentur.*

Qvam-

Qvandoqvidem ergò libri conſtitutionum eodem loco Bellarmino, qvo libri Recognitionum, dubium nullum, qvin & hi, ipſius judicio Apocryphi. Sic & Margarinus de la Bigne ad verba ex *Conſtitutionibus Apoſtolicis* deſumta: *Epiſcopus ignorantiâ aut malâ mente oppreſſus non eſt ampliùs Epiſcopus*, hoc appoſuit gloſſema: *Cautè lege iſta ex Apocrypho libro accepta. Nam Epiſcopus malus, aut imperitus, verus Epiſcopus eſt.* Agnovit qvoqve Pererius: *plerosq; Theologorum & doctorum Virorum illa opera parvi pendere, velut in quibus ſint multa dubia, incerta, apocrypha, falſa.*

§. 5. Eqvidem jam antea nominatus Bovius, *probaturus, hos libros eſſe Autoris illius Clementis legitimos atque germanos*, neqvaqvam *Apocryphos, nec ab Eccleſiâ rejectos*, urget 1. *Canonem Apoſtolorum* 85. (84.) urget 2. *Epiſtolas Ignatianas.* Urget 3. *Athanaſium* in Epiſt. ad *Ammum Monachum* 4. *Euſebium* l. 3. hiſt. eccl. c. 25. (5) *Cyrillum Hieroſolymitanum* in 18. Catecheſi (6) *Epiphanium* in 3. lib. cont. Audianos (7) *Chryſoſtomum* hom. 53. in Matthæum, & objectæ autoritati ſextæ ſynodi, cujus ſententiâ ii libri damnari videantur, opponit (8) *Canones* potiùs illos *ſextæ Synodi*, qvàm *Clementis libros* eſſe *damnandos*, 9. Epiphanium opponendum Canonibus illis. 10. Canones illos apertè affirmare: *hos libros eſſe Clementis, & in his extitiſſe olim germanam & integram Apoſtolorum doctrinam.* 11. *Libros illos non fuiſſe hæreticorum erroribus adſperſos*, ex ipsâ lectionis evidentiâ (*in quâ nihil occurrat, quod Chriſtianæ pietati non ſit maximè conſentaneum, quodq; non appareat ab Evangelij fontibus manaſſe*) conſtare poſſe. 12. *Clementem non ab hæreticis depravatum: ſed ab ipſo hæreticorum impietatem labefactatam.*

§. 6. Ceterùm in 1. & 2. petitur principium. Nec â qvâdam conſonantiâ Ignatianarum ſic dictarum cum his

Clementinis, nuſqvam in Ignatio allegatis, ad agnitam horum librorum autoritatem Clementinam (illius ſc. Clementis cujus â Paulo commendati *nomen ſcriptum eſt in libro Vitæ* Philipp. c. 4. 3.) valet illatio. Reſp. ad 3. Athanaſius in Epiſtolâ ad Ammum Monachum (ſi tamen illa Athanaſii unqvam fuit) planè tacet de *Conſtitutionibus Apoſtolorum*, & multò magis de *Clemente*. In 39. feſtali epiſtolâ meminit qvidem *doctrinæ Apoſtolorum*: ſed λεγομένως, qvæ ſc. ſic *vocetur*, non qvod reverâ ſit Apoſtolorum: qvippe qvam monet non *confundendam cum libris reverà* θεοπνεύστοις *& fontibus illis ſalutaribus ex quibus ſitiens haurire poſſit eloquia Dei, ac in quibus ſolis pietatis ſchola beatè annuncietur, quibus proinde nec addendum quicquam, nec deminuendum.* Copulat illam non ſolùm cum Apocryphis V. T. ſed & cum *Paſtore*, imò in Synopſi, cum *Itinerario Petri, Johannis, Thomæ, Evangelio Thomæ*, ipſius *Gelaſii* judicio ac cenſu vocis, *Apocryphis*: qvin dum in eodem loco Athanaſius (ſi tamen is autor Synopſeos) libros omnes, *qui Evangelia vocantur, præter & extra 4. Evangeliorum libros*, inter *Apocryphos* infimæ Claſſis i. e. *nothos, reprobos* (ἀποβλήτους) collocat, & nihilominus illam ſic καλουμένην *doctrinam Apoſtolorum*, Evangelio Thomæ comparat, apparet facilè, qvo loco habuerit *Conſtitutiones Apoſtolorum*, ſi tamen, has *Pſeudo-Clementinas*, & non vel ipſos Canones, vel planè alia nunqvam Clementis nomen adepta ſub titulo *Doctrinæ Apoſtolorum*, intellexit, pro qvo vehementer facit, qvod in Synopſi, liber cui titulus: *doctrina Apoſtolorum*, contradiſtinguatur *Clementinis*. Vid. Athanaſ. edit. Commel. part. 2. p. 45. 135.

§. 7. Reſpondemus ad 4. Euſebius Pamphili l. 3. hiſt. eccl. c. 19. (Græcè 25.) de Conſtitutionibus Apoſtolorũ planè tacet: meminit qvidem libri, cui titulus; Doctrinæ Apoſtolorum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

ſtolorum: cæterùm ne qvidem ponit in libris ἀντιλεγομένοις, ſed planè *in Apocryphis*, *nothis*, atqve adeò diſcernit ab *Epiſtolâ Jacobi*, ceterisq; N. T. libris, qvibus olim fuit contradictum, ſ. *non agnitis ſemper* & *univerſaliter Canonicis*, etſi reverà ſemper talibus. Copulat ſc. cum *Actis Pauli*, *Paſtore*, *Apocalypſi Petri*, *Epiſtolâ Barnabæ*, *ſcriptis manifeſtè* Apocryphis, etiam in Gelaſii ſenſu & cenſu *diſt.* 15. *c. ſancta Romana*, ut monſtro ſimile ſit auſum hîc olim exclamare Bovium: *Vides cum quibus libris connumerentur ab Euſebio Inſtitutiones Apoſtolorum?* & additum ab illo. *De veritate doctrinæ, à veteribus nunquam fuiſſe dubitatum: ſed tantùm de illo, num ſint in Canonem ſcripturarum referendi?* At non poſiti ſaltim ſunt inter ἀντιλεγομένους ſ. qvibus juſtè contradictum: ſed & inter ſpurios. Et ſi non *dubitaſſent de veritate doctrinæ*, nec dubitaſſent de Apoſtolicâ horum librorum autoritate, expreſsâ in primo ſtatim capite, qvippe doctrinæ illius parte; qvod ſi autem de hâc non dubitaſſent, utiq; nec dubitare potuiſſent de Canone ſ. qvin in Canonem ſcripturarum Apoſtolicarum hæ ipſæ conſtitutiones fuerint referendæ. At de his dubitarunt. E. & de illo.

§. 8. Citat qvidem Bovius, ab Euſebio hos libros in pari cenſu collocari cum *Apocalypſi Johannis*. Ceterùm Sophiſticâ perverſitate, truncato textu, adulteratoq; Euſebii ſenſu. Citavit Euſebii verba: *præterea Apocalypſis Johannis:* omiſit autem, qvod immediatè ſeqvitur (1) illud: εἰ φανείη i. e. *ſi videbitur* (2) epicriſin Euſebii: ἥν τινὲς ἀθετοῦσιν ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσι τοῖς ὁμολογουμένοις i. e, *Apocalypſin Johannis alij quidem poſtponunt: alij autem in manifeſtis* (Canonicis) *ſcripturis collocant*. Tacuerat Bovius (3) qvod Euſebius Apocalypſin Joh: in eodem loco jam ante hanc epicriſin apertè retuliſſet inter ſcripturas N. T. Canonicas ſ. τὰς καινῆς διαθήκης γραφὰς ὁμολογουμένας,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

νοις, & copulaverat cum 4. Evangeliſtis, Actibus Apoſtolorum, Epiſtolis Paulinis, & primâ Petri ac Johannis, etſi nec ibi celaverat, veteres non idem de hâc ſenſiſſe. At librum cui titulus falſus: Διδαχαὶ Αποςόλων, ſimpliciter Euſebius, ἐν νόθοις ponit, qvi *præterea* & de *Conſtitutionibus* & de *Clemente* tacet: qvin l. 3. hiſt. eccl. c. 37. 38. (Latin. 32.) unam ſolùm Clementi huic Epiſtolam tribuit velut approbatam: & non ſolùm de alterâ Clementis Epiſtola dubitat· ſed & addit: *quosdam alia opera verboſa & prolixa fictâ vetuſtate & ſuppoſito hujus Clementis nomine introduxiſſe, quæ non ſolùm toti vetuſtati ignota fuerint: ſed & ſinceram Apoſtolicæ orthodoxæq́ doctrinæ notam minimè tenuerint*, qvod, etſi in Dialogum Petri & Appionis præcipuè ſcriptum ab Euſebio, tamen, qvia ceterorum ipſi (ex ſilentio & rejectione) par ratio, non abſurdè ad omnia Pſeudo-Clementina applicatur.

§. 9. Reſp. ad 5. Negatur conſeqventia: Cyrillus Hieroſ. in qvæſtione hiſtoricâ ſ. fabulâ potius, *Phœnicis* poſt 500 annorum ætatem ex ipſo funere renaſcentis, allegat Clementē. E. probat *libros 8. Conſtitutionum* Apoſtolicarum & hos ipſos, eſſe Autoris Clementis Romani. Nihil ibi pro his Clementinis. Reſp. ad 6. *Audiani hæretici* opponebant Epiphanio libros *Conſtitutionum Apoſtolicarum*: licet autē non penitus improbaverit Epiphanius, tamen addidit: *apud multos revocari in dubium:* & potüit tunc ſcripto minus ineſſe perverſitatis, ac poſt ætatem Epiphanii magis magisq́; depravari. Mirum autē qvod præter *Epiphanium*, *Euſebius & Hieronymus* in Clemente, planè taceant de his libris, Conſtitutionum Apoſtolorum, qvi ſanè juxta elogium Bovii merebantur vel præ ipsâ Epiſtolâ commendari. Reſp. ad 7. in Chryſoſtomo loco alleg. nihil tale, qvale inde *Bovius* citavit. Reſp. ad 8. Etſi illi Canones non ſunt lati in ipsâ Synodo univerſali: ſed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

demum ſive juxta Theophanem, 27. ſive juxta Tharaſium & Bellarminum 5. annis poſt ipſam Synodum, ſunt tamen Canones tàm *ſextæ*, qvàm 5. Synodi ſ. in utramq; qvæ anteceſſerat, Synodum lati in *Trullo Conſtantinopolitano* â 227. Patribus Græcis, vel ipſius Bovii judicio, *Viris doctis & rerum divinarum ſcientiâ præditis*: nec integrum Pontificiis pro lubitu hîc probare & reprobare. Committuntur ſic inter ſe infallibiles. Sanè *Sergius Papa* reprobavit & qvidem totam Synodum velut erraticam. *Adrianus I.* approbavit, ad minimum qvosdam Canones. Judicium adeò domi contradictorium. Reſp. ad 9. Epiphanius meminit Apoſtolorum ordinationis. vid. ſupra n. 6. & Conf. Baron. annal. t. 2. ad a. 102. n. 9. *Conſtitutiones*, inqvit, *ab Athanaſ. Epiphanio, omnibusq; ſcriptoribus Eccleſiaſticis inter Apocrypha ſunt numeratæ* Reſp. ad 10. Canon Trullanus allegat Canonem Apoſt. 85. & hujus fide Clementem, nec agnoſcit *germanam illam & integram Apoſtolorum doctrinam* ſic in illis *Conſtitutionibus* ſupereſſe, ut vel cum Canonibus Apoſtolorum comparari poſſint. Baron. autem l. alleg. n. 10 defendit *certam rationem ac perſpicuam demonſtrationem afferri non poſſe, quod Canones ab ipſis Apoſtolis ſint conſtituti, & â Clemente editi*. Si ergo Pſeudo clemens ille, qvi in 1. perſonâ loqvitur, ac ſibi editionem conſtitutionum tribuit in Canone 85. tota hypotheſis, de Clemente Collectore vel Autore harum conſtitutionum ruit. Nec enim propterea Canones illi ſunt habiti Apoſtolici ac Clementini, qvod *Codici Conſtitutionũ Apoſtolicarum eſſent olim appoſiti* (prout judicavit Baron. l. cit.) ſed contrà, potiùs hæ Conſtitutiones ipſorum Apoſtolorũ & Collectoris ſ. Autoris Clementis habitæ, inde qvod Can. 85. inter libros ſacros N. T. omnibus clericis & laicis venerandos collocat hos libros τῶν διαταγῶν ſ. conſtitutionum, inter & ante libros verè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

Canonicos, & in perſ. I. loqvatur: *quæ conſtitutiones vobis Epiſcopis in libris 8. per me Clementem nuncupatæ ſunt.* Reſp. ad 11. & 12. Obſtat & judicium Patrum Concilii qvini ſexti can. 2. & ipſa rei evidentia. Nec errores illi in his Conſtitutionibus omnes verrucæ ſunt & *parvæ cicatrices*, prout loqvitur Bovius: ſed alicubi tubera, vulneraq; patentia.

§. 10. Errores qvos Bellarminus objicit Conſtitutionum Apoſtolicarum libris, ſeqventes ſunt, 1. *Miniſtrum ſacramenti* Baptiſmi, eſſe debere *ſacerdotem* (qvatenus hic Diacono ceterisq; inferioribus, & multò magis Laicis & hæreticis contradiſtinguitur) cujus erroris Conſeqvens error 2. nec *Laicum*, & 3. nedum *hæreticum* poſſe legitimè baptizare: qvin 4. *Philippum* illam Baptiſtam Samaritanorum, non *Diaconum* fuiſſe: Sed *Apoſtolum*. 5. Obligare æqvè *cultum Sabbathi, & dici Dominici.* 6. *Quartas nuptias eſſe manifeſtam ſcortationem.* 7. *Mariam Magdalenam* diſtingui *à Mariâ ſorore Lazari.* 8. χειροθεσίαν ſ. *manuum impoſitionem* obligare etiam in ordinatione *Subdiaconi, Lectoris, & Diaconiſſæ.* 9. *Exorciſtas non ordinari.* 10. *Jacobum fratrem Domini non eſſe unum ex Collegio* τῶν δώδεκα: ſed duobus in hoc, contradiſtinctum tertium. 11. *Ancillam*, ſi cum *proprio Domino rem habeat*, ſ. ſoli Domino obſeqvatur, *recipi: ſi cum aliis intemperans fuerit, rejici.*

§. 11. Et ſanè, qvæ de miniſtro baptiſmi, *Sacerdote*, & irrito *baptiſmo impiorum vel hæreticorum* notavit Bellarminus, habentur l. 6. c. 15. ubi & citatur graviſſima in Apoſtatas Sacerdotes ſententia divina ex Hoſ. 4, 6. כי אתה אסת הדעת ואמאסך מכהן לי i. e. *qui tu reprobaviſti notitiam, etiam ego reprobavi te, ut non ſis ſacerdos mihi*, & qvod de *Philippo Coapoſtolo habetur* l. 6. c. 7. de *Sabbato & Dominico die celebrando*, illo in *lætitiam naturæ conditæ*: hoc *reſurrectionis Domini*

Dominicæ, & de *jejunio unius Sabbati, quo tempore naturæ Au-
tor ſubter terram degit* l. 7. c. 24. Ita l. 3. c. 2. *Bigamia poſt pro-
feſſionem iniqua eſt habenda. Trigamia incontinentiæ eſt ar-
gumentum. Id quod ſupra trigamiam fit, manifeſta fornicatio
judicatur. Deus enim unam mulierem uni Viro tradidit in
creatione.* Nec minùs id qvod de *pellice, infideli ancilla ſoli
Domino obſequente, in communionem Eccleſiæ recipiendâ, ſi cum
aliis intemperans fuerit rejiciendâ*, putatur inter diſpoſitio-
nes Pauli l. 8. c. 38. Merebantur hæc, prout & interdictum
Laico baptiſma ſub pœnâ lepræ, qvod tamen non habetur l. 5.
ſed l. 3. c. 10. epicriſin, etſi minùs illud de *Philippo Coapoſtolo*
(licet enim non eſſet ἐκ τῶν δώδεκα: ſed ἐκ τῶν ἑπτὰ vid. Act.
21, 8. prout tamen e. c. *Petrus* ſe vocavit *Compresbyterum* 1.
Pet. 5, 1, ita & Diaconorum primarium, Samaritanorum Ev-
angeliſtam & Baptiſtam, qvin in eâdem Samariâ, plus ipſo
Petro, laborantem, Apoſtoliq; characteribus tribus inſi-
gnem vid. Act. 8, 7. 12. 13. appellare poterat *Coapoſtolū*) Obſerva-
re qvippe licet Apoſtolos, etſi in culmine Apoſtolico conſti-
tutos, ac ſecundùm excellentiam Epiſcopos, in illis hono-
rum ſive munerum, nominibus, ſeſe qvâdam modeſtâ συγ-
κατάβασει ad inferiora cognomina demiſiſſe, contrà verò, hu-
miliori conditione Doctores, &, non presbyteros ſolùm Epi-
ſcoporum (qvia illi qvà rem ipſam utiq; prout ἐπισκεπτοῦντες
erant, ita & *Epiſcopi* nuncupari poterant 1. Pet. 5, 2.) ſed & a-
lios in Evangelio συνεργοὺς ſuos, APOSTOLORUM ſublimiori
nomine ſic attollere, ſalvaq; illâ, qvæ in Canonibus verè A-
poſtolicis fundatur Epiſcopum *Presbyterorum*, & *Diaconorum*
ſubordinatione, paritatem qvandam ſanctiſſimi muneris ſer-
vare voluiſſe, qvomodo *Epaphroditus*, *Barnabas*, *Andronicus*,
multi diſcipuli fratres, APOSTOLI, imò ἐπίσημοι ἐν ἀποστόλοις di-
cuntur conf. Philipp. 2, 25. Act. 14, 4. Rom. 16, 7. 2. Cor. 8, 23.

Qvantò magis autem his STEPHANUS & PHILIPPUS! ſic Diaconi, ut ille ſimul eſſet Apoſtolus Hieroſolymitanorum Act. 6, 8. 15. hic, Præco, Thaumaturgus, Baptiſta Samaritanorum, Simonis Magi, & Æthiopis Dynaſtæ c. 8, 12. 13. 26.

§. 12. At minùs cenſuram merebatur, qvod in *Conſtitutionibus* lib. 3. (non libro 5. prout & Bellarminus habet, & qvi ex hoc deſcripſerunt) *Maria Magdalena* velut diſtincta à *Mariâ ſorore Lazari* memoratur, & qvod iterum (non libro 8. prout & in Bell. legitur, & ex hoc vulgò deſcribitur ſed) l. 6. c. 12. & 14. *Jacobus Frater Domini Apoſtolis contradiſtinguitur*, & *tres* adeò *Jacobi* ſtatuuntur, duo Apoſtoli, unus dictus *Filius Zebedæi*, alter *Alphæi*, tertius extra Collegium τῶν δώδεκα *Epiſcopus Hieroſolymorum*: Conf. qvoqve l. 7. c. 46. Opinatus qvidem Baronius annal. tom. 1. ad a. 32. n. 18. & 19. objectioni, qvæ ex his Conſtitutionibus movetur, pro diſtinctis Mariis, aliâ ſc. Magdalenâ, aliâ ſorore Lazari, compendio ſatisfieri poſſe, ſive ut totus liber velut Apocryphus rejiciatur, ſive ut hoc, velut ſpurium ſupplementum Clementis libro inſertum, habeatur. *Uno, inqvit, verbo hic liberari poſſemus ſi Apocryphum eſſe librum diceremus. Sanè quidem, ſi hæc dicta ſunt à Clemente, quomodo ea latere potuerunt tot antiquos patres, qui de eâ re ſcripſerunt? ſed miſſo hoc, quantumvis honeſto de apocryphi exceptione confugio, quod ſpectat ad refellendam Clementis nomine ſuppoſitam autoritatem, dicimus ab aliquo alio ea verba eſſe addita, longè poſt Clementis tempora, idque evidenti conjecturâ.*

§. 13. Ceterùm propter illam qvidem ſententiam, non debuiſſet ſive totus liber *Apocryphi*, ſive locus ille nothi vel ſpurii ſupplementi plagam ſuſtinere, cum & ſcripturis conſonantior, & autoritatibus vetuſtiſſimis præſtantior illa ſit ſententia, qvæ Marias illas diſtinguit, qvàm, qvæ confundit

dit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

dit. Mentio *Mariæ Magdalenæ* (qvæ hujus cognominis non niſi una in ſacris) celebratiſſima in Paſſionis & reſurrectionis Chriſti hiſtoria, ſpectaculo inprimis *crucis*, ac *ſepulcri*, apud omnes Evangeliſtas Matth. 27, 56. 61. c. 28, 1. Marc. 15, 40. 47. c. 16, 1. 9. Luc. 24, 10. Joh. 19, 25. c. 20, 1. 18. extra qvæ loca, nonniſi ſemel, hujus nominis & perſonæ mentio Luc. 8, 2. ubi inter mulieres, Dominum Jeſum, occaſione *curationis admirabilis à Spiritibus immundis*, ſecutas, καὶ διακονέσας αὐτῷ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐτῶν, primo loco memoratur *Maria Magdalena*, cum eodem epitheto, qvod apponitur illi Marci 16, 9. in mentione 1. apparitionis. Nullibi ſive huic, *ſororis Lazari*, ſive *ſorori Lazari*, nomen *Mariæ*, cum addito *Magdalenæ* tribuitur, cum tamen illa *Maria ſoror Lazari* totiens in præcipuis hiſtoriis miraculorum Jeſu nominetur conf. Johan. 11, 1. 2. 19. 20. 28. 31. 32. 45. c. 12, 3. Qvin ipſe Lucas, qvi ſolus in mediâ hiſtoriâ Evangelicâ meminit *Mariæ Magdalenæ*, tamen, ubi in eâdem mentionem facit Mariæ ſororis Marthæ vel Lazari, non addit huic cognomen *Magdalenæ*: ſed apertè has diſtinguit velut alterã Galilæam, alterã, ſtrictè dictam Judæam ex regione Hieroſolymitanâ conf. Luc. 8, 2. & c. 10, 39. 42. qvin hypotheſis illa de unâ eâdemq; Mariâ bis ungente Dominum in domo unius ejusdemq; *Simonis*, ſemel Luc. 7, 38. Joh. 11, 2. ſemel 6. ante Paſcha συνεχώσιμον diebus, de qvâ Joh. 12, 3. Matth. 27, 7. 12. Marc. 14, 3. ſic ut utramq; peregerit *Maria ſoror Lazari*, eademq; adeò fuerit illa γυνὴ ἁμαρτωλὸς, qvantum fuit vetuſtiſſimis Patribus ſignum contradictionis?

§. 14. Et conceſſo licet illo, unde probabitur *Mariam Magdalenam* fuiſſe, qvæ *utramq;* illam *unctionem* peregerit? Inprimis, cum ſic hiſtoriam *primæ illius unctionis*, & *magnæ illius peccatricis* deſcribat Lucas c. 7, 37. ut ab hâc *Mariam Magdalenam* diſtinguat Luc. 8, 2. Illa appellatur γυνὴ ἐν τῇ πόλει in qvàm tunc iverat Jeſus: hæc velut talis, qvæ jam tunc

fuerit in comitatu Jeſu l. ἀκολουθοῦσαι καὶ διακονοῦσαι αὐτῷ conf. Matt. 27, 55. nec huic additur illud, qvod illi *Mariæ* apud Johannem c. 11, 2. apponitur, ſc. ἡ ἀλείψασα, vel ἡ ἐκμάξασα? Qvàm enim frivolum commentum eſt, qvod hîc ſuperioribus conciliandis additur: ſc. *Mariam ſororem Marthæ ex progenie quidem fuiſſe Judæam, & caſtelli Judææ Bethaniæ cum Marthâ & Lazaro, hæredem: ceterùm nupſiſſe Viro Galilæo, cujus fuerit caſtellum quoddam Galilææ nomine Magdalum, unde illa Magdalena cognominata, Chriſtumq; in Judæam comitata, Lazaro & Marthæ familiarem reddiderit:* & alterum: *ſeptem Dæmonia quæ Dominus Jeſus ex Mariâ ejecerit, fuiſſe ſeptem vitia capitalia, à quibus Dominus illam liberaverit*, ut ſic ex illo epitheto Magdalenæ, in Lucæ c. 8, 2. ἀφ' ἧς δαιμόνια ἑπτὰ ἐξεληλύθει, probetur fuiſſe illam ipſam τὴν γυναῖκα τὴν ἁμαρτωλὸν, cujus mentio antecesserat proximè c. 7, 37. & ſeqq. Et tamen haut aliter Gregorius M. ac poſt eum pleriq; pro theſi de *unâ Mariâ dictâ & Magdalenâ, & ſorore Lazari* intellexerunt & intelligi voluerunt.

§. 15. Maldonatus' ſanè commentaturus in locum Lucæ c. 8, 2. non auſus ſolvere nodum, *an Maria Magdalena eadem fuerit, quæ ſoror Marthæ & Lazari?* & an fuerit illa ἁμαρτωλὸς ἡ ἐκμάξασα, de qvâ Lucas c. 7, 38. ſed Lectorem dimittit ad ea qvæ diſſeruerit Matth: 27, 56. & Matth. 26, 7. Verùm magno promiſſor hiatu Conſultorem loco citato jubet vacuâ remeare carinâ. Nec enim qvicqvam ibi habet, qvàm, qvo ſive principium petit, ſive Lectorem inanem dimittit. *Maria*, inqvit, *Magdalena ſoror fuit Lazari & Marthæ, ut recepta apud omnes fert opinio, etſi ſunt, qui eam Galilæam fuiſſe dicunt, ut ex Luc. c. 8, 4. colligunt, neque cum Lazaro quicquam habuiſſe, de quâ Chriſtus ſeptem ejecerat Dæmonia.* In loco autem altero Matt. 26, 7. dubium à Maldonato non

ſolvitur: ſed velut conceſſum ſupponitur: Mariam Magdalenam fuiſſe illam Mariam *ſororem Lazari & Marthæ:* & ſolùm diſqviritur: *an Maria illa Magdalena, ſoror Lazari, fuerit illa* ἁμαρτωλὸς ſ. *peccatrix?* Luc. 7, 37. pro qvo problemate affirmato, urget Maldonatus tacitum Eccleſiæ conſenſum, & illud Johannis c. 11, 2. addens: *omnia argumenta contraria minùs habere ponderis, quàm hoc unum.* At Janſenius Concord. Evangelicæ c. 47. tantum pondus in illo, qvod præcipuum Auguſtini fuit, argumento non agnovit: *Sciendum*, inqvit, *quod ratio Auguſtini non eſt omninò efficax. Nam Johannes c. 11. dicens: Mariam fuiſſe, quæ unxit Dominum unguento, videtur id magis dixiſſe de unctione, quam ipſe poſtea deſcribit c. 12.* qvalem prolepſin uſitatã ſcriptoribus ſacris probat ex Matth: 10, 4. ubi jam *Judæ Iſcariotæ* additur illud: ὁ παραδοὺς αὐτόν. Qvod ſi autem peccatrix illa ungens, non fuerit Maria ſoror Lazari, fuerit a. Maria Magdalena, de merito magnorũ peccatorũ ſuorũ aliqvando â dæmoniis poſſeſſa, qvæ multorũ & magnorum Patrũ fuit ſententia, jã ſanè nec *Maria Magdalena* fuerit illa *Maria ſoror Lazari* & *Marthæ*, qvod adeò rectè negaretur in *Conſtitutionibus* (λεγομένως) *Apoſtolorum.*

§. 16. Confeſſus ingenuè Corn. Janſenius, Epiſc. Gandav. Comm. in Concord. Evang. c. 55. *Quod Maria, quæ in Evangeliis vocatur Magdalena, ſit ea Maria, quæ fuit ſoror Marthæ & Lazari, ex Evangeliis quidem apertè probari non poteſt. Imò ex Evangeliis videri poſſet, non eſſe eadem mulier, quod Maria, quæ dicitur Magdalena, fuit Galilæa,* (Marci 15, 40. 41.) *Maria autem ſoror Marthæ, Judæa, cum Bethania Judææ Caſtellum, dicatur caſtellum Mariæ & Marthæ ſororis Lazari.* Joh. 11, 1. 18. *Verùm, cum recepta ab Eccleſiâ ſententia habeat, Mariam ſororem Marthæ & Lazari, fuiſſe eam, quæ dicitur Maria Magdalena, non eſt temerè contra hanc ſententiam ſentiendum.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

dũ. Apparet adeò ſententiã illam non ſcripturarum rationibus, non vetuſtiſſimorũ Patrum (qvi, paucis exceptis, contrarii fuerunt) autoritatibus: ſed ſolâ opinione receptâ & autoritate Eccleſiæ Romanæ niti, qvæ qvia ſic ſtatuit, erroneũ habendum, qvicqvid illi contrarium etiamſi reperiatur in ipſis (ſive λεγομένως, ſive ὄντως) *Canonibus* & *Conſtitutionibus Apoſtolorum* ſ. in ipſis ſcripturis Canonicis. Ita credendũ, communionem ſub unâ eſſe ſacramentaliter integram, Servatorem in verbis: *Hoc facite*, ſacerdotes inſtituiſſe, & ſacrificare corpus ac ſanguinem juſſiſſe: qvia hæc eſt *recepta Eccleſiæ Romanæ ſententia*, etſi toti antiqvitati ignota. Ita, ut ad *Mariam Magdalenam* redeamus licet clariſſimè deſignet Marcus, huic poſt reſurrectionem *primò apparuiſſe* Jeſum c. 16. 9. tamen contrà, audacter, ſuo more, Maldonatus: *Primùm* inqvit, *Matri ſuæ Chriſtum apparuiſſe, non quod Evangeliſtæ id factum dicant: ſed quod ita fieri decuerit, credendum eſt*. At cum Evangeliſta *non ſolùm* id factum, *non dicat*; ſed & id *non factum* dicat, dum *primò Mariæ Magdalenæ* apparuiſſe adſeverat, unde tanti Maldonato Spiritus? qvia ſc. opinio eſt recepta, & *inhæret mentibus omnium ferè Catholicorum*. Apparet qvid judicandum de uno illo, qvem Conſtitutionibus his Bellarminus arrogat, errore, in qvæſtione de *Mariâ Magdalenâ*, & *Mariâ ſorore Lazari*, qvidve judicandum de epicriſi ſuperiori Baronii ad h. l. Conſtitutionum:

§. 17. Nec in altero, qvem Bellarminus appellat, *errore*, ſic omnia liqvida pro illo notando. Sanè Marcus Anton. de Dom. l. 2. de R. E. c. 2. §. 44. tres JACOBOS in Canonicis ſcripturis celebratos, apertè defendit, ſc. præter illos duos ἐκ τῶν δώδεκα qvorum nomina in Indiculo Apoſtolico e. c. Luc. 6. 14, 15. alterum *Zebedæi*, alterum *Alphæi* Filium, *Jacobum fratrem Domini*, &, ipſius *de Dominis* judicio, filium Joſeph

Joſeph Patris Jeſu putativi, ex uxore 1. vel Mariæ nepos ex ſorore, qvi etſi ἐκτὸς τῶν δώδεκα tamen Chriſti diſcipulus, aſſecla, vitæ ac reſurrectionis Chriſti *teſtis oculatus* Act. 1, 22. & non minùs, qvàm alii ἐκτὸς τῶν δώδεκα, *Apoſtolus*, ac qvod huic peculiare cognomen, *Frater Domini*. Et ſanè cum Apoſtoli ex mandato iverint & prædicaverint πανταχοῦ *Domino cooperante*, hic autē velut *Hieroſolymorū Epiſcopus*, & ſic vocatione ad curandum gregem primariū diſcretus ſemper deſcribatur, nihil obſtat *tertium JACOBUM Hieroſolymorum Epiſcopum*, & propter ſive ſanguinem, ſive affinitatem, qva Dominum Jeſum propiùs attinebat, ab ipſis Apoſtolis æſtimatum aſſerere, 1. Cor. 15, 7. Gal. 1, 19. Gal. 2, 12. (at ille qvi v. 9. appellatur ςύλος, fuit *Jacobus Zebedæi*) Act. 21, 18. qvi proinde velut Epiſcopus Eccleſiæ, ſententiam dixit in 1. Concilio Act. 15. 13. 19, 22. vid. Hieron. in JACOBO Fr. Dom. qvi appellat *Epiſcopum Hieroſolymorum* ab *ipſis Apoſtolis ordinatum*, unde & in clementinâ nuncupatur Epiſcopus Epiſcoporum, in Ruffino hiſt. c. 2. ipſorum Apoſtolorū Epiſcopus, Heſychio autem Hieroſ. Presbytero, & Photio Patriarchæ Conſtantinopolitano, Chriſti ſervus & Frater, ὁ τῆς νέας Ἱερουσαλὴμ ἀρχιςρατηγὸς, ὁ τῶν ἱερέων ἡγεμὼν, ὁ τῶν Ἀποςόλων ἔξαρχος, ὁ ἐν κεφαλαῖς κορυφὴ, ὁ ἐν λύχνοις ὑπερλαμπόμενων, ὁ ἐν ἄςροις ὑπερφάνων vid. Phot. cod. 275. & conf. Joſeph. antiq. l. 20. c. 8.

§. 18. Dantur autem alia parùm Apoſtolicæ ætati, Spiritui, dignitatiq; conſonantia, qvalia præter illa, ſive ad Paulianos, Arianos, Macedonianos declinantia, ſive ab his inſerta (1) qvod l. 2. c. 17. *Epiſcopus ad Laicum* ſe habere dicatur, ut *Dominus ad ſervum, ut caput ad caudam* (2) qvod l. 2. c. 29. *Epiſcopi non ſolùm* dicantur eſſe *Laicorum Prophetæ: ſed & Principes, Duces, Reges, Dei & fidelium mediatores, prout Chriſtus, ita omnium hominum peccata portantes*, qvibus debeantur

 à popu-

â populo Chriſtiano *primitiæ*, *decimæ*, ceteræq; ex Lege veteri oblationes. (3) Ibidem mentio *Epiſcoporum*, & immanis ab illis diſcretio *Presbyterorũ*, *Diaconorum*, *Lectorum*, *Cantorum*, *Oſtiariorum*, qvæ diſtributio ac diſtantia tanta ordinum conſiſtunt infra ætatem Apoſtolicam. conf. c. 32. (4) c. 34. *Moſes* ad *Ahronem* ſe habuiſſe dicitur, ut *Epiſcopus ad Diaconum* & contrà. (5) Deum in ſingulorum baptiſmo dicere de fideli baptizato: *Filius meus es tu: ego hodie genui te*. c. 36. (6) *Sacerdotes* dicuntur habendi velut *principes & Reges*, & illis tanqvam Regibus tributa pendenda, imò *plus dandum ſacerdoti, quàm Regi: ſacerdotium* ad *regnum* ſe habere velut *anima ad corpus*. c. 38. unde Conſarcinator harum conſtitutionum vehementer inculcat, *ne quis coram ſacerdote vacuus compareat*. conf. c. 40. (7) De tribunali Eccleſiaſtico, in qvo ſedeant *Diaconi*, *Presbyteri*, & in qvo qvidam *ſupplicio afficiantur*, atqve â *vitâ gloriaq; æternâ expellantur* loqvaciſſimus fuit conſtitutionum Autor l. 2. c. 51. 52. & ſeqq. (8) De *Eccleſiâ formandâ ordinandaq; more nautico*, & honorificâ ſurrectione *Auditorum ad lectionem Evangelÿ* (non item Moſis & Prophetarum) qvia ſcriptum eſt in Deuteronomio: *ſta & audi Iſrael*. c. 61. (9) De Viduâ juvenculâ, poſt profeſſionem nubente, DEO reâ l. 3. cap. 1. (10) De *baptiſmo mulierum*, Laicorum qvorumcunq; imò ipſorum Diaconorum, & in inferioribus ordinibus poſitorum *penitus interdicto*, qvin Korachi terribili pœnâ notato conf. l. 3. c. 9, 10, 11. (11) De *ordinatione ſoli Epiſcopo* competente, non *Presbytero*, l. 3. cap. 11. (12) De *baptizato maſculo* ſuſcipiendo â *Diacono*, fœmellâ, â *Diaconiſſâ*, & *olei* benedictione ac *unctione baptizatorum* l. 3. c. 16, 17. l. 7. c. 23. c. 44.

§. 19. Ita (13) ſi qvid *ab inimicis Dei capiatur* ſ. contribuatur, *non in eſcam*: ſed in *ligna & carbones eſſe conſumendum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

mendum l. 4 c. 8. 10. (14) De die *natali Servatoris* celebrando die 25. menſis 9. & magis ſolemni *Epiphaniæ*, die 6. m. 10. jejunio item *quadrageſimæ* l. 5. c. 13. (15) In eodem capitulo continetur oratio nunc ſub nomine *Johannis*, nunc *Petri* conf. l. 5; c. 15. (16) l. 5. c. 16. ſic loqvuntur: *cum antitypa myſteria pretioſi corporis & ſanguinis ſui, nobis tradidiſſet, quibus non aderat una nobiſcum Judas.* Contrarium autem habetur ex Rationario paſſionis Evangelico, ſc. *Judam Iſchcariotam omninò interfuiſſe ſacramenti inſtitutioni, & participaſſe idem cum ceteris Apoſtolis ſacramentum & rem ſacramenti*, nec ſolùm *panem Domini* (prout Calvinus concedens interfuiſſe, loqvitur) ſed & *panem Dominum.* Nec aliter ſentit Auguſtinus hom. 19, 61. in Johannem, & l. 5. de baptiſmo contra Donatiſt. ep. 162. Serm. 2. de Verb. Dom. Chryſoſt. hom. 27. in 1. Ep. ad Corinth. *Cogita*, inqvit, *quantum interſit inter præceptorem & proditorem. Et tamen cum hoc quoque Jeſus accubuit, neque eum expulit: ſed ſale impertiit, & ſacramentorum participem fecit.* (17) Jejunium *feriæ 4. & Paraſceves* ab ipſo Servatore reſuſcitato dicitur indictum Capit. 16. l. 5. (18) *Æquinoctium vernum* ponitur *d. 22. menſis 12.* & inde *obſervanda dies 21. primæ Lunæ*, in cujus *hebdomadam* incidat 14. *Lunæ*, ſic tamen ut feſtum non celebretur, niſi ſolo *die Dominico* l. 5. c. 18. (19) In Liturgiâ, verba inſtitutionis immutantur, additâ miſturâ vini & aqvæ l. 8. c. 17. (20) Fit mentio *oblationis Euchariſtiæ pro S. Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus* l. 8. c. 18.

§. 20. Hæc ſanè & ſuperiora non ſolùm dubiam Conſtitutionibus Apoſtolicam autoritatem reddunt: ſed & adimunt: ut nihilominùs in illis octo libris *revera ſint utilia quædam* qvæqve meritò non â Græcis ſolùm: ſed & Romanis magni fieri debebant. Pulchrè de-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

coreq; ſatis loqvitur de *Conjugio*, de *pœnitentiâ*, de *Eucharistiâ* qvoqve, ſic, ut oſtendat illâ ætate inauditam Eccleſiæ fuiſſe ſolius corporis Chriſti ſub *ſpecie panis*, ſumtionem conf. l. 8. c. 20. & 21. Formula qvoqve Liturgiæ memorias qvidem continet (εὐχαριστικὰς) *Sanctorum defunctorum*, *ipſorum* qvoqve *Martyrum* l. 8. c. 13, 16. 18. ſine *invocatione* tamen *ſanctorum*, cujus in hoc opere vix umbra, ut adeò appareat, vetuſtum & ex Centonibus ſcripturarum Canonicarum, ac dictis qvorundam Apoſtolorum, qvæ tamen σύμφωνα ſunt ταῖς γραφαῖς, ceterisq; veteris Eccleſiæ ritibus concinnatum poſt tempora Apoſtolorum ſcriptum, qvod, obſervatis ſuperioribus, & utiliter legi poſſit, & de veteri Eccleſiâ conſultorem mediocriter erudire.

§. 21. Solent & alia qvædam deſiderari e. c. qvod ἀγάπας à Paulo probatas Autor libri rejiciat, qvod tantùm *ſecundam pœnitentiam* concedat, qvod *nuptias ſecundas* improbet, qvod Chriſtus *quinq; ante Paſcha diebus Judam proditorem* revelaverit: ceterùm ex tribus prioribus contraria potiùs, commendatasq; ἀγάπας, & inculcatam *pœnitentiam*, monitosq; Epiſcopos, ne vel *bis pœnitentem repudient*, qvin & probatas *nuptias ſecundas*, remonſtrare (conf. de 1. lib. 2. c. 32. de 2. lib. 2. c. 18, 13. c. 44, 45. de 3. l. 3. c. 2. *Adoleſcentioribus Viduis poſt primi Viri obitum concedatur ſecundus, ne incidant in judicium Diaboli*) & qvartum ex libro 4 c. 15. allegatum commodè explicare licet.

§. 22. Pontificiis autem & magnâ voce *Apocryphum* hunc Pſeudo-Clementis, librum, vel ſaltem ab *hæreticis contaminatum* clamantibus, & nihilominùs contra nos citantibus, illud, hoc ipſum, pari, qvo Baronius uſus, compendio, opponere licet, & reſpondere unâ voce: *Apocryphus*, vel: *ſuppoſititium*. Citant ſc. Anglo-Rhemenſes annot. in Luc.
4, 1.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

4, 1. pro *jejunio* qvadrageſimali, Bellarminus autem, qvi monuerat l. de ſcript. *Eccleſ. conſtitutiones has ab hæreticis depravatas, in Eccleſiâ ferè nullum nomen habere*, citat l. 1. de Clericis c. 12. pro *antiquitate ordinum Eccleſ.* l. 2. de Monach c. 26. *pro voto continentiæ* lib. 1. de *purgatorio* c. 10. allegans Clementem l. 8. Conſt. c. 48. *ubi longam orationem deſcribat pro defunctis fieri ſolitam*. l. 3. de cultu ſanctorum c. 7. *pro aquâ luſtrali* l. 4. de Euchar. c. 4. pro *reſervatione ſacram.* l. eodem c. 10. pro *miſturâ vini & aquæ in ſacramento* l. 2. de miſsâ c. 15. pro *lotione manuum ante conſecrationem* l. 2. de Confirm. c. 3. *pro confirmationis ſacramento*, qvæ tamen magnâ parte accuratiùs conſiderata in ipſo Autore, ſeu libris Conſtitutionum, parùm ad cauſam pontificiam faciunt, & *Ignorationem Elenchi* oſtendunt.

4. LITURGIÆ ſ. MISSÆ APOSTOLORUM.

§. I.

Extant in Bibliothecâ Veterum Patrum edit. Pariſ. Autore Margar. de la bigne Sorboniſtâ tom. VI. qvi Liturgicus eſt, *duæ Liturgiæ*, una ſub nomine *Jacobi Apoſtoli fratris DOMINI*, & *Hieroſolymorum primi Epiſcopi*, altera ſub *nomine S. Marci*, qvibus in editione recentiori Bibliothecæ tom. 12. p. 360. (ubi & priores illæ binæ extant) acceſſit, qvam Lindanus anno 1589. excudendam curaverat, *S. Apoſtoli Petri Miſſa Apoſtolica ſ. divinum ſacrificium*, ubi adeò reperire licet tres illas Græcè & Latinè: ſed & præter has extat Liturgia 1. *Miſſa Matthæi*, ut ſic ſub Apoſtolorum & Evangeliſtarum nomine, 4. circumferantur Miſſæ, 1. *Romana*, 2. *Hieroſolymitana*. 3. *Alexandrina*, 4. *Æthiopica*, ex qvibus 1. incedit ſub nomine *Petri* 2. *Jacobi*. 3. *Marci*. 4. *Matthæi*.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

1 §. 2. Et de ipſis qvidem nominibus, nihil dicere attinet, cum negare haut liceat qvandam utriusq; nominis ad ſolenne ſacrum Eccleſiaſticum applicati jam olim, illius in Eccleſiis Græcis, hujus in Latinis, vetuſtatem, & ipſorum vocabulorum â fermento ſacrificiali Papiſtico immunitatem: nec enim ſive *â Miſſâ* ad *Miſſam Papiſticam* ſ. in abuſibus & hypotheſibus erroneis Papiſticis conſideratam: ſive ab appellatione λειτουργίας, *ad ſacrificium* (qvale nullum vi formæ contineri in illâ voce & nec materialiter qvidem ſignificari niſi jam aliunde ſit probatum & legitimatum, prolixè: ſed & eruditè deduxit Apol. Aug. Conf. p. 269. 270. ut ſic *generis*, ſ. *miniſterij publici generale* vocabulũ ad ſpeciem *ſacrificij* malè in N.T. applicetur) valet illatio, & multò minùs ad *ſacrificiũ propitiatorium* pro *defunctis & vivis*, ſive *cum*, ſive *ſine communicantibus*. Sic nec, ſi μετωνυμικῶς ſumatur *Liturgiæ* vocabulũ pro ipsâ formulâ celebrandi, inde qvicqvã Pontificiis emolumenti. Nec enim vel ſic â *Liturgiâ veterum* ad *Canonem præſentem Miſſaticum Romanum*, valet conſeqventia. Habuerunt Apoſtoli *certam Liturgiam* ſ. *celebrandi ſacri Euchariſtici* formulam. E. *talem*, qvali nunc utitur *Romana-Papiſtica*. Negatur hæc illatio: cum *Canon Romanus* præter verba conſecrationis (etſi hîc qvoqve, ex phalſâ hypotheſi, *Evangeliſtas multa in verbis inſtitutionis omiſiſſe*, ſupplementũ agnovit labente ſeculo 12. Innocentius III.) & orationem Dominicam nihil habeat *Dominicæ, vel Apoſtolicæ compoſitionis*, pauciſſima purioris antiqvitatis, & majori parte, ſit ex diſſimilibus & ipſis Pontificiis imperſcrutabilibus Centonibus & ritibus conſarcinatus. Conf. Innoc. III. c. *cum Marthæ* de celebrat. Miſſ.

§. 3. De Liturgiis illis univerſim nunc pronunciamus, *omnes illas eſſe ſuppoſititias*, neqvaqvam *genuinas Apoſtolicas*, nec adeò *illorum* qvorum nomina præferunt, *Autorum*, vel

ſic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

ſic celebrantium Apoſtolorum. Probamus 1. ex confeſſione Gregorii M. in regiſtro l. 7. c. 65. imò ipſorum qvoqve poſteriorum, Ruperti, Valafridi Strabonis, Durandi, Platinæ; *Apoſtolos ad ſola verba Dominica additâ ſolummodo oratione Dominicâ conſecraſſe*, pro qvo etiam facit ſilentium ſcripturæ nullam memorantis aliam formulam Liturgiæ ſacramentalis Apoſtolicæ. 2. Ex ipsâ formularum ſ. *Liturgiarum* mirifica inter ſe variatione, qvæ diſſonantia repugnat compoſitioni Apoſtolicæ. 3. Ex ipsâ *Liturgiarũ* in ſeculis illis ætati Apoſtolicæ propioribus multiplicatione, qvalis non ſolùm non neceſſaria: ſed & temeraria, & reprehendenda omninò fuiſſet, ſi certâ qvadam *Liturgiæ* formulâ ipſi Apoſtoli præiviſſent, & â ſe compoſitam Eccleſiis tradidiſſent: nec enim Eccleſiæ in qvotidiano ferè ſacro tantâ oſcitantiâ laborare potuiſſent, ut excidere Apoſtolicum ſacri Canonem permiſiſſent, nec adeò tenuiter Apoſtolorum habere autoritatem, ut horum Liturgiâ neglectâ ſuas ſuorumve Doctorum compoſitiones præferrent. Conſtat autem alias Liturgiæ formulas obtinuiſſe in *oriente*, alias in *occidente*, & utrobiq; rurſus diſſonas illas fuiſſe. Alia ſc. juxta *Juſtin. Dion. Areop.* alia *Cyrilli Hieroſ.* alia *Chryſoſtomi*, alia *Tertulliani*, alia *Ambroſii*, *Iſidori*, *Gregorij Magni* alia *Eccleſ. Gallicanarum*, alia *Mediolanenſ. Toletana*, *Romana*. Qvid opus autem tot formulas cudere Patres, & ſic variare Eccleſias, ſi certâ qvâdam eaq; divinâ compoſitione præiviſſet ſive in occidente *Petrus*, ſive in oriente *Jacobus*, ſive in Africâ meridionali *Marcus?* Et qvare non Miſſam Petri divinam retinuerit Eccleſia *Romana:* ſed novum ipſa ſibi Canonem conſarcinaverit? Certùm qvippe præſentem Canonem Rom. ab ipſo Gregorio non agnitum eſſe autoritatis & antiqvitatis Apoſtolicæ: ſed *recentioris compoſitionis Scholaſticæ*, ſic ut 500. & amplius poſt

Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

Chriſtum annis nondum extiterit ſyſtema præſentis Canonis: ſed 600. demum poſt Chriſtum annis proceſſerit, ita tamen, ut ne tunc qvidem haberetur pro Canone ſ. formulâ obligante univerſam Eccleſiam occidentalem: cum & Gregorius M. *Auguſtino* Anglorum Evangeliſtæ vel Apoſtolo, primoq; Epiſcopo, ordinante hunc Virgilio, Arelatenſ. Epiſcopo, ob varietatem Liturgiarum in ipſis Galliis, de certâ formulâ pro Eccleſiis Anglicanis percontanti, reſponderit, *liberum illi fore, ſive uti vellet Romanâ*, ſive aliâ *quadam Liturgiâ.* Factum id a. D. 601.

§. 4. Probatur 4. ex ingentibus Prochroniſmis: qvia habentur in illis Liturgiis, qvæ certum, longè poſt Apoſtolorum tempora demum innotuiſſe vel obtinuiſſe. Probatur 5. ex ipſorum Adverſariorum confeſſione. Licet enim citent aliqvando, ſive ſua, ſive Catholica inde probaturi dogmata, (qvomodo *Liturgiam Petri* citavit Coccius tom. 2. l. 7. de pœnit. art. 5. p. 848. probaturus, *verè contritos, & confeſſos, ſi ante ſatisfactionem deceſſerint, pœnis purgatoriis ad definitum tempus torqueri, & hujusmodi pœnas, Eccleſiæ & Amicorum ſuffragiis, orationibus, Eleemoſynis, jejuniis mitigari, &* tom. 2. l. 6. de Euchar. art. 1. p. 605. ut probet: *In Euchariſtiâ ſub ſpecie panis & vini, veram Jeſu Chriſti carnẽ, & verum ſanguinem exhiberi: Liturgiam Marci*, Gregorius de Valent. de ſacrif. Miſſ. l. 1. c. 4. ut probet, *pleraſq; ceremonias verborum atque factorum, quibus hodie utitur Eccleſia in Miſſâ, ab Apoſtolis inſtitutas fuiſſe*, & Coccius Theſaur. Cathol. tom. 2. l. de Euchar. art. 1. ut probet, *de ſacrificio Miſſæ prædixiſſe Malachiam Prophetam*, Liturgiam item *Jacobi* Bellarminus l. 2. de Miſsâ c. 7. probaturus, *Eccleſiam univerſam in ſacrificio Miſſæ pro defunctis orare*) tamen & de ceteris *Matthæi, Marci, Petri Liturgiis*, planè tacet Bellarminus l. de ſcript. Eccleſiaſt. nec

ullibi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

ullibi facilè citat, ſub nomine c. c. *Petri*, cum tamen ſæpiuſculè citet antiqvas Miſſas. Cardinalis autem Baronius, qvi Apoſtolorum hiſtoriam videri vult perfectè conſcripſiſſe, Liturgiarum *Petri*, *Matthæi*, *Marci* non meminit, etſi *Petrũ in itinere Romano Neapoli & Piſis Miſſam celebraſſe* ſcribit in annal. 44. 28. & vel præſentem Romanam Petro affingit ibid. 102. 23. Sed de his Miſſis ſigillatim nunc agendum.

MISSA PETRI.

§. I.

Liturgia hæc, qvæ fertur ſub titulo: *Miſſa Apoſtolica ſ. ſacrificiũ divinum S. Petri Apoſtoli*, non eſt Petri: ſed ſuppoſititia. Probatur 1. qvia in illâ continetur orationis formula, qvâ petitur, ut *Petri & Pauli interceſſione ac precibus concedatur, ut in omnibus divinâ protectione muniamur.* Non autem credibile eſt, Petrum in invocatione Dei, ſua ipſius merita vel ſuffragia commemoraſſe, talemq́; formulam ἐπικλήσεως, in qvâ ad ſuã mortui interceſſionẽ Eccleſiam ablegat, vivum præſcripſiſſe. 2. Fit in illâ mentio *Lini*, *Clementis*, *Xyſti*, *Cornelij*, *Cypriani*, *Laurentij*, *Chryſogoni*, *Johannis & Pauli & Damiani*, *Ignatij*, *Alexandri*, *Marcellini*, *Felicitatis*, *Perpetuæ*, *Agathæ*, *Luciæ*, *Agnetis*, *Cæciliæ*, *Barbaræ & Julianæ*, qvorum pars magna Petri ætate 200. vel 300. annis poſterior vixit. 3. Unde non ſolùm nuſqvam Bellarminus citare hanc Miſſam audet ſub Petri nomine, & Baronius illam præterit: ſed & Genebrardus annot. in hanc Liturgiam p. 44. fatetur: *initio quædam adjecta, & medio addita, & fini quædam attexta*, qvin idem Apolog. pro Miſsâ Petri c. 23. p. 105. fatetur, *quædam oſcitantiâ, aut negligentiâ, aut malitiâ omiſſa.* 4. Si â Petro Chriſti Vicario, Romanorum Epiſcopo 1. eodemq́; infallibili & Oecumenico, præſcripta fuiſſet certa Liturgia, repudiare,

mutare illam non debuiſſet *Eccleſia Romana:* nec illi præferre miſſam *Gregorij*, vel cujusdam qvi compoſuit, *Scholaſtici*, & veterem illam Româ in montem Apuliæ relegare: qvod certum eſt judicium, Liturgiam hanc ψευδεπίγραφον, & genuinum Petri fetum judicatam non eſſe.

MISSA MARCI.

§. I.

Hæc ſeparatim excuſa Antverp. a. 1560. extat edita â Card. Sirleto & habetur Græcè ac Latinè in Bibl. patr. nov. ed. tom. 12. Pro ſuppoſititiâ hâc facit (1) Oratio pro *defunctis martyribus & Patriarchis*, qvâ obteſtatur Deum, *horum omnium animabus, ut concedere velit requiem.* Qvod facere videbatur pro errore Armeniorum, vel illa, qvam in Bernhardo Abbate Claræ vallenſi, velut *damnatam* ſententiam notavit *Alphonſus Caſtrenſis l. 3. adv. hæreſes* & *Sixtus Senenſis Biblioth. ſ. l. 6. annot.* 345. p. 714. & ſeqq. conf. *Bernh. ſerm. 3. & 4. feſtiv. omnium ſanctorum*: ubi tres ponit animarum ſtatus: *primum in atriis:* ſecundum *in tabernaculis*, tertium *in domo Dei* h. e. *in beatitudine*, in qvam ſine corporibus non intretur, ſ. primus in *corporibus corruptibilibus 2. ſine corpore. 3. In conſumatâ beatitudine*: qvi idem ibidem: *Animas ſanctorum adusq; diem judicij quieſcere ſtatuit ſub altari* (Apoc. 6. 9.) i. e. *ſub Chriſti humanitate, vel in ſolâ humanitatis* Chriſti viſione, donec veniat tempus, in qvo Filius Dei poſt reſurrectionem univerſalem oſtendet ſe illis in formâ Dei cum patre & Spiritu S. & ſic exaltentur ſuper altare. Excuſaturus tamen hanc Bernhardi ſententiam Sixtus adducit ingentem chorum illuſtrium Eccleſiæ Patrum, qvi huic dogmati autoritatem viſi ſint ſuo teſtimonio præbuiſſe, & hîc primo loco urget *Jacobi hanc Liturgiam* & deiṅ magnam Patrum turmam, *Irenæum, Juſtinum Tertull. Cl. Rom. Orig. Lactant. Victor.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

ctor. Mart. Ambroſ. Chryſoſt. Auguſt. Theodor. Cyr. Epiſcop. Areth. Oecum. Theophylactum, Euthymium Zigabonum, imò ipſum Pontificem *Joh. XXII.* qvi teſte Adriano Papâ VI. induxerit Sorbonam, *ut in hâc nemini conferretur in Theologiâ gradus, niſi jurato priùs, ſe defenſurum hunc errorem.* Addere iſtis licebat *Andream Archiep. Cæſar. com.* in c. 17. & 6. Apocal. qvi extat tom. 1 Bibl. patrum p. 1289. ubi in margine ſic notatur. *Hâc hominum ætate propter diverſam Eccleſiæ ſententiam, eam ampliùs tueri non licet.* Et ſanè agnoſcunt nunc Pontificii errorem, & hunc damnatum (juxta Sixt. Senenſ.) in decr. pontif. *Innocentij III. & Benedict. XII.* unde Sinnichius in Saule exrege p. 217. animas plenè purgatas confeſtim adipiſci gloriã, agnoſcit tale dogma, qvod *nullus Pontificum ante Benedictum XII. definiverit, & nulla Occumenica Synodus, ante Florentinam,* ante qvam ſc. definitionem creditum fuerit, *animas omnes in unâ communiq; cuſtodiâ apud inferos ſequeſtrari in diem Domini, quo maximus Judex meritorum examen faciat,* verba ſunt Tertull. qvi vid. l. 4. adv. Marcion. l. de an. c. antepenult. Lactant. l. 7. div. inſtit. c. 21. & Aug. l. un. ſ. Enchir. ad Laur. c. 108. & 109. *Tempus,* inqvit, *quod inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut unaquæq; digna eſt, vel requie, vel ærumnâ, pro eo, quod ſortita eſt in carne, cum viveret. Unde cum ſacrificia ſive altaris, ſive quarumcunq; eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis, propitiationes ſunt, pro valde malis,* etſi *nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualescunq; tamen ſunt conſolationes vivorũ.*

§. 2. (2) In Miſsâ ſ. Liturgiâ S. Marci appellatâ col. 19. habetur oratio hæc: *Protege civitatem iſtam, propter Martyrem tuum & Evangeliſtã Marcum, qui nobis viam ſalutis demonſtravit,* qvæ omnia demonſtrant, Marcum jam fuiſſe Marty-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

rio coronatum ante hanc Liturgiam compoſitam. Putatur autem annus natalis ſ. martyrii Marci, Neronis octavus, prout Petri, Neronis 13. vel decimus qvartus.

§. 3. (4) Autor hujus Liturgiæ celebrat Regem ſuæ regionis velut *Chriſtianum & orthodoxum, pro quo facta preces*. At vero Reges tales nō fuerunt tempore Marci. (4) In hâc Miſsâ preces fiunt *pro Papa, pro Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, Monachis*, qvales ordines nulli viguerunt tempore Marci. (5) In hâc Liturgiâ fit mentio *Confeſſorum*, & verbi ὁμοούσιος, qvæ nomina in Eccleſiâ longè infra Marcum.

MISSA JACOBI.

§. I.

Inſcriptionem, & poſitum hujus in Bibliothecâ Patrum notavimus jam ſupra num. 4. etſi & ſeparatim excuſa illa Liturgia Antverp. a. 1560. Mirum ſanè, Bellarminum, qvi *in libello de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, agnoverat *ſic illam ſupplementis auctam, ut quid propriè Jacobi ſit inveniri in illâ non poſſit*, totiens tamen hanc Liturgiam, ſub ipſo *Jacobi* nomine in controverſis citare, e. c. *pro mixtione vini & aquæ in ſacramento, pro Miſſæ ſacrificio propitiatorio, impetratorio, ac pro purgandis igne purgatorio*, qvem tamen tantum abeſt, ut Hieroſolymitani â *Jacobo Apoſtolo* acceperint, ut potiùs conſtanter *Purgatorio papiſtico* omnibus retrò ſeculis contradixerint. Conf. Bell. l. 4. d. Euchar. c. 10. l. 1. de Miſſ. c. 18. l. 2. de miſsâ c. 2, 3. 7. conf. qvoqve Sixt. Senenſ. in Bibl. l. 2. in *Jacobo*, Cl. Sancteſium, & Jacobum Pamelium in Liturgiis, & Aut. ind. chronol. editionis novæ Bibl. Patrum.

§. 2. Qvin jam olim Miſſæ Jacobi meminit Proclus Conſtantinopolitanus, & Concilium Trullanum Canone 32. his verbis. *Nam & Jacobus Jeſu Chriſti Domini noſtri frater ſecundum carnem, cui primùm Hieroſolymitanæ Eccleſiæ thronus eſt*

nus eſt creditus, & Baſilius Cæſareæ Archiepiſcopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervaſit, myſtico nobis in ſcriptis tradito ſacrificio peragendum in ſacro myſterio ex aquâ & vino ſacrum poculum ediderunt. Qvin Autor. edit. 3. Bibl. patr. in Ind. Chronol. ad ſec. 1. Conſtat, inqvit, S. Cyrillum Hieroſolym. in catecheſ. 5. *myſtagogicâ, plura ex illâ mutuatum.* Neqve tamen negat Autor, illam miſſam plurimis inſertis auctam. Neqve alio magis argumento probat Baron. ad a. Chr. 63: n. 17. *Miſſam hanc eſſe Jacobi*, qvàm *quia convenit cum illis, quæ habentur in Myſtagogicis orationibus Cyrilli*, e. c. qvod Sacerdos altâ voce dicit: *ſurſum corda!* & præfatio de *immensâ Dei gloriâ* ante ſacra myſteria: item qvod Sacerdos dicit: *Orate pro vivis & defunctis!* qvod Diaconus inclamat ante ſumtionem ſacrorum myſteriorum: *oſculamini vos invicem oſculo ſancto!* & ille accepturis intonet illud: *Sancta ſanctis!* & populus reſpondet: *Unus eſt ſanctus.* Ac rurſus, qvod Cantores inter ſumtionem ſacræ Euchariſtiæ illud Pſalmi 33. concinant: *Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus!* Ceterùm 1. an illa Liturgia qvæ ſub ſancti Cyrilli nomine fertur, ſit ipſius Cyrilli, nondum adeò liqvidum. 2. Si tamen hoc detur, qvæ conſeqventia: In Miſsâ qvæ fertur ſub nomine S. Jacobi, ſunt qvædam, qvæ qvoq; dantur in Miſſá S. Cyrilli. E. Cyrillus illa accepit ex miſſá Jacobi: Qvare non autor Miſſæ Jacobi illa transſumere potuit ex miſsâ Cyrilli? Si enim ſupponatur illam miſſam utiq; eſſe Jacobi, principium petitur: qvin mirum, ſi Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus, Anteceſſoris in eâdem Cathedrâ, & qvidem Apoſtoli Jacobi Miſſam in veniſſet, auſum illam immutare, vel aliam cudere, cum, etſi datur qvædam conſonantia, tamen nec negetur inſignis diſtantia. Et addit tandem ipſe Baronius: *In ſacratiſſimâ Miſſâ Jacobi alias additas preces*

alias breviori ſumma contractas, ritus nonnihil auctos, & mutatos, ſicut Liturgia Jacobi paulò diverſior nunc ab illâ priſtinâ habeatur. Qvò magis autem â Pontificiis hæc Miſſa Jacobi defenditur, & contra nos allegatur, eò magis ſuppoſititia illa â nobis aſſeritur & probatur, ne qvis inde locus detur fermento dogmatico Papiſtico.

§. 3. Suppoſititiam hanc evincit Prochroniſmus. Fit in illa mentio *Confeſſorum.* Fatetur autem Bellarminus ipſe l. 2. de Miſſâ c: 20. *Martyres quidem cœpiſſe publicè invocari, & eorum nominibus dies feſtos coli; ac Baſilicas erigi, ab initio planè Eccleſiæ:* CONFESSORES *autem multò ſeriùs hunc honorem in Eccleſiâ meruiſſe:* unde argumentum Bellarmino *pro Canone Miſſatico Romano*, vel hujus potiùs *vetuſtate.* Scilicet, *mentio Confeſſorum ſolennis jam in uſu fuit* anno 800. At in Canone Romano *nulla fit mentio* CONFESSORUM, *aut virginum non Martyrum: ſed Martyrum tantùm, ſive virorum, ſive feminarum.* E. Canon ante 800. Chriſti annum eſt compoſitus. Ceterùm ſic qvoqve Liturgia multis poſt Jacobum ſeculis fuerit compoſita, cum vel ipſo Innocentio III, (de myſt. Miſſæ l. 3. c. 10.) teſte, Eccleſia demum poſt rempora B. Sylveſtri cœperit S. Confeſſorum memoriam celebrare.

§. 4. Sic in illâ ipsâ Catholica mentio fit ὁμοȣσίȣ: atqve conſtat hoc vocabulum qvidem circa tempora *Concilij Antiocheni*, ſeculo *tertio* decurrente in Eccleſiâ uſurpatum: ſed tunc ab *hæreticis* c. c. *Samoſatenianis*, qvibus ὁμοȣσιον hæretico ſenſu affirmantibus, contradictum à Catholicis, ὁμοȣσιον, ſic, prout acceperant illi, negantibus, prout contrà alio ſenſu ὁμοȣσιον ab Arianis ſuppeditatũ etſi negatũ, à Catholicis patribus nõ tàm inventũ, qvàm affirmatum propugnatũq; fuit in Concilio demum & ſymbolo Nicæno ſeculo 4.

Io 4. vid, Sixtus Senenſ. l. 4. Bibl. in *Origene*. Sic in *hâc Miſſâ*, Maria dicitur *virgo deipara*, cum tamen hæc vox, non audita facilè fuerit hactenus in Eccleſia: ſed demum cœperit circa Neſtorii tempora ſeculo 5. Deniq; canitur in Liturgia τρισάγιον ſ. hymnus, cujus in Eccleſiâ canendi origo refertur ad finem ſeculi 5. ſ. tempus Felicis III. qvi vixerit labente ſeculo qvinto, vid. Epiſt. Felicis ad Petrum Antiochenum Epiſcopum & ad Zenon. Imp. in tom. 2. conciliorum: ſed & publicè oratur pro *degentibus in Monaſteriis* qvæ tamen non fuerunt tempore Jacobi. Deniqve autor hujus Miſſæ tenetur errore eorum, qvi *ſtatuunt: animas fideles non viſuras Deum, ante diem judicij* Conf. ſupra in Marco.

MISSA MATTHÆI.

§. 1.

HÆc, qvæ, *Æthiopum* dicitur eſſe, ſub *Matthæi* incedens nomine, pariter eſt ψευδεπίγραφος, & non *Matthæi*. (1) qvia meminit *Epactæ & aurei numeri*, longè poſt tempora Matthæi, in Eccleſ. uſurpati (2) oratur pro *Papis*, *Patriarchis*, *Archiepiſcopis*, nec tunc inſtitutis, nec niſi longo intervallo demum inſtituendis. (3) Autor Liturgiæ meminit *Concilij & Symboli Nicæni*, *Conſtantinopolitani*, *Epheſini*, *imò Baſilij*, *Chryſoſtomi*, *Gregorij M. Pontificis*, qvi ad 600. annum Chriſti pertinet. (4) Meminit *multorum Regum Chriſtianorum*, qvorum tamen nullus vixit tempore Apoſtolorum. Qvæ & plura alia, impoſturam produnt, & vanitatem ac ætatem longè poſteriorem harum Liturgiarum oſtendunt.

S. CLEMENTIS LITURGIA.

§. I.

PRæter illas ſub Apoſtolorum nomine, datur alia ſub Clementis Apoſtolici nomine Liturgia, de qvâ vid.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

Bar. ann. 102. 23.. Idem de hâc judicium Bellarmini, qvod de Liturgiâ Jacobi ſc. eſſe qvidem illam verè Clementis: ſed à *poſterioribus* ita auctam, ut non ſit facile dijudicare, *quid in eâ Clementem habeat Autorem?* qvod eſt ἀντιλεγόμενον ἐν προσκει-μένῳ ſc. Certum eſt, illam Lîturgiam eſſe Clementis: ſed non certum eſt, qvæ ejus pars, vel qvid in illâ ſit Autoris Clementis? Et tamen audacter illam ſub *Clementis* nomine citavit Bellarm. contra nos c. c. lib. 2. de Miſſâ c. 7. Idem Bellarm. lib. de S. Eccl. *credibile*, inqvit, *eſt*, *Clementem non ex proprio judicio: ſed ex ritu, quem obſervari viderat à S. Petro, Liturgiã compoſuiſſe: quemadmodũ & ipſe S. Petrus nihil aliud faciebat in offerendo ſacrificio Euchariſtico, niſi quod ipſe Dominus fieri juſſerat.* Ita & Baroniꝰ: At S. Petrus, verba ſunt Platinæ, ubi conſecrabat, *Oratione Pater noſter, utebatur, & per hanc*, nõ aliam Liturgiæ formulam, *conſecrabat*, unde addit idem in *Sixto* 1. primis illis temporibus *nuda hæc ſacra fuiſſe & omnia ſimpliciter tractata*, licet â Jacobo Epiſcopo Hieroſolymitano primum auctarium deducat. E. per orationem Dominicam Dominus Petrum conſecrare juſſerat, non per aliam aliqvam (verbis inſtitutionis & orationi Dominicæ contradiſtinctam) Liturgiæ formulam, cujus nulla alia mentio in Miſſis verè Apoſtolicis Act. c. 20, 7. 1. Cor. 11, 23. c. 14. 16. 17 & ſeq. Atqve adeò, ſi Clemens Liturgiam compoſuit, ex ritu, qvem vidit obſervatum â S. Petro, non potuit illa Liturgia qvæ ſub nomine illius, Clementis eſſe, magis, qvàm qvæ ſub Petri nomine extat, eſt ipſius Petri, niſi qvoad *Orationem Dominicam & verba inſtitutionis*, qvæ verè fecerunt *Miſſam Apoſtolicam*. Qvin ſi planè, qvalem celebravit Petrus, Miſſam ſ. Liturgiam compoſuerit Clemens, utiq; hæc ipſa Clementis fuerit ipſiſſima Petri, vel ſeqveretur, alio ritu Petrum celebraſſe, alio Liturgiam compoſuiſſe, ſuæq; adeò Liturgiæ in celebrando

brando negligentiam fuiſſe. Nec potuit Bellarminus pro fide & origine hujus Miſſæ alios citare teſtes, qvàm *Proclum* l. 7. de trad. div. Miſſæ, *Nicolaum Epiſcopum Methonenſem in lib. de veritate corporis Chriſti*, *Beſſarionem Cardinalem in libro de ſacram. Euchariſtiæ.* Tacent ſc. omnes primorum ſeculorum Patres de Liturgiâ Clementis, qvæ & omittitur, ſaltim ſub Clementis peculiari nomine non memoratur in Bibl. Patrum, cum tamen in recentiori editione collectæ ſint Liturgiæ *Petri, Jacobi, Marci.* Apparet inde, qvid roboris inſit argumentis Baronii, qvi pro Miſſâ Clementis urget 1. *Traditio eſt.* 2. *Proclus teſtis eſt*, qvin altiùs aſcendit, &, *quæ*, inqvit, *Latinis univerſæq; occidentali Eccleſiæ præſcripta eſt ſacræ Miſſæ forma, non tantùm ab ipſo Clemente: ſed & ab ipſo Apoſtolorum Principe Petro ſibi vendicat antiqua traditio, cum ejus inſtitutionis nullum aliud ſit principium & originem demonſtrare.* At ipſe Baron. nullibi in annalibus ſcribere auſus, ab ipſo Petro compoſitam Liturgiam, & confeſſus apertè, potuiſſe per Liturgiam Clementis intelligi Proclo, & aliis Græcis, qvæ de Miſſâ ſcripta habentur in *Conſtitutionum libris* 7. & 8. qvæ tamen agnoſcit Baron. ab omnibus Patribus inter *Apocryphas ſcripturas adnumerata & meritò annumeranda*, ann. 102. 9. Et qvæ illatio: *Non poteſt illius Miſſæ certus autor oſtendi. E. is eſt Petrus?* Benè tamen, qvod addidit Baronius: *quibusdam exceptis quæ ſunt addita, vel mutata. At* hæc *quadam* non ſunt pauca: ſed Canonis Romani longè plurima.

VITÆ APOSTOLORUM.

§. I.

Sub hoc titulo extat liber *Abdiæ* Epiſcopi *Babylonÿ*, qvi ſe dicit unũ *fuiſſe ex Diſcipulis Domini*, qvi totus ſuppoſititius meritò habetur: qvia (1) nulla ſive illius Abdiæ, ſive ejus libri apud antiqvos mentio, (2) *Vita Apoſtolorum*, qvæ ſub

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

illo Abdiæ nomine circumferuntur, fabulis, qvàm veræ narrationi ſimiliores ſunt. Recenſet talia de *D. Matthæo*, de Thomâ (qvi pincernæ Regis Indiæ, â qvo per imprudentiam *palmâ percuſſus erat, maledixerit*, & ut â *Leone occideretur* & *dilaniaretur, effecerit*, ſic ut *Canis manũ occiſi, menſis* ubi tunc *convivatus fuerit Thomas, intulerit*) de *D. Andreâ*, de *D. Maximillâ uxore Egetis*, *per turpiſſimum lenocinium* vicariam pro ſe *ancillam marito ſupponente*, & de puerulo ſpecioſo vocem Maximillæ mentiente, qvæ inter ſcripturas *Apocryphas* & Manichaicas refeit Auguſtinus. Conf. hic non ſolùm l. de f. cont. Man. ſed & cont. Adamant. l. un. c. 17. 4. *Apocryphã* nulliusq; autoritatis hanc ſcriptionem agnoſcunt ipſi Pontificii. Conf. l. de ſcript. Eccl. in *Abdiâ* & Baron. a. 44. n. 44. a. 51. n. 51. *Rejectus*, inqvit, *prorſus eſt hic liber Abdiæ*. Ita Bell. l. 2. de B. O. in part. c. 24. ait: *Abdiæ librum ſuppoſititiũ eſſe viri docti etiam apud nos cenſent*. Ita Poſſevinus app. ſacro, verbo *Severus Sulpitius* dicit: *Abdias Babylonius eſt apocryphus & nullius fidei*. Ita Salmeron. comm. in 2. Tim. 2. diſp. 2. *Abdiæ*, inqvit, *libri Apocryphi*. Molanus l. 1. de fid. hær. ſerv. c. 6. *ſpuriũ eum & mendacem* aſſerit. Verger. de idol. Lauret. *nihil illorum librorum vel umbram Apoſtolici pectoris ac majeſtatis referre. Omnia illic frigere & ineptula ac ſuperſtitioſa eſſe*. Ita Melchior Canus loc. Comm. l. 11. c. 6. in fin. *Quis vel mediocriter prudens*, inqvit, *ab Apoſtoli Thomæ perſonâ illud non videt abhorrere, quod in rebus ab eo geſtis refertur, ut ille injuriæ petierit vindictam?*

§. 2. Et ſunt tales τερατολογίαι longè plures in illo *Apocrypho Abdiâ*, qvalis, qvod l. 5. fol. 69. introducitur Johannes Evangeliſta narrans, qvomodo Chriſtus ter ſe ſtudentem nuptiis, ab his revocarit, tandemq; dignatus ſit ei dicere: *Johannes, niſi meus eſſes, permitterem tibi, ut uxorem duceres* ac ſi Chriſtus neminem pro ſuo agnoſceret, qvi uxorem duceret.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

Ita l. 7. fol. 88. Autor affirmat S. Matthæum diſputantem de *Paradiſo terreſtri*, in qvo initio Deus poſuit Adamum, docuiſſe, *Paradiſum eminere omnibus montibus, & eſſe vicinum cœlo:* qvod pro abſurdo ab ipſo habitum eſt Bellarmino, l. unic. de grat. 1. hom. c. 12. & Perer. comm. in Geneſ. l. 3. q. 5. de Paradiſo. Qvin, l. 6. f. 73. citat Hegeſippum 5. comm. libro, qvi tamen 160. annis â nato Chriſto vixit, & qvem adeò ille Abdias, niſi fuerit alter *Johannes de temporibus*, qvem ultra naturæ curſum vixiſſe ajunt, allegare non potuit.

§. 3. Et tamen nõ ſolùm *Laurentius â Barre*, hiſtorias *Abdiæ* primo loco inter hiſtorias veterum patrum collocat: non ſolùm *Wolſgangus Lazius*, Vienenſis, *Abdiæ editor*, multum operæ inſumſit in eo probando, qvod hic ſit *genuinus ille Abdias*, imò qvod ejus *phraſis ornatior* ſit illâ, qvæ eſt in *actibus Apoſtolorum*, aut ipſa etiam *hiſtoriâ Evangeliorum*, ſubdubitans num, in parallelis *Abdias ex Lucâ quædam deſumſerit*, utrum *Lucas* ex Abdiâ? Sed & alii Pontificii, ſi qvidem in Abdiâ contra nos aliqvid reperire poſſunt, audacter citant. Sic idem Bellarm. qvi l. de S. E. ſcripſerat: *vitas* illas *Apoſtolorum* eſſe *fabulis, quàm hiſtoriæ ſimiliores, quiq;* l. 2. de B. O. in part. c. 24. ſuppoſititium ſcriptum cenſuerat, proteſtatus, ſe *certè nulla ab eo teſtimonia petiiſſe*, citat contra nos pro *voto continentiæ* l. 7. de Monach. c. 27. *Abdias*, inqvit, *in vitâ Matthæi, ſcribit, Matthæum Iphigeniæ ſuaſiſſe, ut virginitatem ſuam Deo ſacraret.* Ita Lindan. in panopl. l. 4. c. 48. Greg. de Val. l. 1. de Miſſ. ſacrificio c. 4. Hardingus art. 1. reſp. ad Ivelli provocat. citat eas, ut probet, *S. Matthæum, Miſſam celebraſſe in Æthiopiâ paulò ante Martyrium.*

LIBER PASSIONIS ANDREÆ.

§. I.

CIrcumfertur hic ſub nomine *Presbyterorum Achajæ*, teſtantium ſe ſcripſiſſe ea, qvibus interfuerint. Non ne-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

gat Bellarminus, inter *Viros Doctos ac graves* acriter de veritate ejus hiſtoriæ diſputatum eſſe & magnum qvendam Virum eam in dubium revocaſſe: ipſe tamen probare conatur, *veram legitimam & utilem*, allegatis pro ſe autoritatibus, *Petri Damiani*, qvi ante 600. annos floruit, *S. Bernhardi*, Johannis à *Lovanio*, *Aloyſii Lipomanni*, qvi ex probatis autoribus vitam ſanctorum deſcripſerit, & *Breviarÿ Romani*.

§. 2. Omninò autem inter *Apocryphos ſ. ſuppoſititios*, hic qvoqve liber referendus, cujus nulla planè apud probatos Autores Veteres occurrit mentio, ne qvidem apud illos, qvi Catalogum veterum ſcriptorum ex profeſſo texuerunt, puta *Euſebium*, *Hieronymum*, *Gennadium*, infra qvorum ætatem longè conſiſtunt illi recentiores, qvos in contrarium citat Bellarminus. Et fatentur ipſi Pontificii, in acta Andreæ irrepſiſſe Græciſmum de *Spiritu S. quod à patre procedat, & in filio permaneat.* Vid. Martyrolog. Rom. ad 30. Nov. Qvidni ergò probabile, irrepſiſſe qvoqve Latiniſmos, ſ. nugas Papiſticas & errores non paucos? qvin hiſtoria de morte S. Andreæ, qvi juſſu præſidis ſic fuerit *cruci affixus*, ut *ligatis manibus & pedibus quaſi equuleo tenderetur, ne clavis affixus citò deficeret*, refutatur ab ipſo Bell. l. 2. de imag. S. c. 27. *Pictores*, inqvit, *ſolent ſolum Chriſtum depingere clavis affixum, Latrones autem, atque S. Petrum & S. Andream funibus: ſed non ita eſt. Modus enim crucifigendi communis non erat, ut multi putant, funibus alligando: ſed clavis figendo. Omnes ergo clavis figebantur, prout omnes crucem ſuam ferebant, & omnes antea flagellis cædebantur.*

Acta Barnabæ.

§. 1. Celeberrimum in *Actis Apoſtolicis*, & *Epiſtolis Paulinis* nomen BARNABAS, nec alius ille, qvem Paulus non ſolùm *Fratrem*: ſed & cum inſigni elogio, οὗ ὁ ἔπαινος ἐν

τῷ εὐαγγελίῳ διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν *ſ. cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*, appellat 2. Cor. 8, 18. non obſtante illo, qvi aliqvando, propter *Johannem Marcum* Barnabæ Comitem, inter conjunctiſſimos Apoſtolos interceſſit, *paroxyſmo*, de qvo vid. Act. 15, 39.

§. 2. Sub hujus Barnabæ nomine olim *Epiſtola* fuit circumlata, cujus nunc non ſuperſunt niſi fragmenta, apud *Clementem Alexandrinum in ſtrom. libr. & hujus* diſcipulum *Origenem in lib. 3. Periarchôn* extantia, qvæ parum oſtendunt illum Barnabæ â Paulo ſic commendati characterem. Extitit & aliud ſub nomine *Barnabæ Evangelium*, qvod Gelaſius Diſt. 15. rectè computavit inter *Apocrypha*, & talium autoribus hæreticis denunciat anathema.

§. 3. Præter hæc extant *Acta Barnabæ*, non ut ſcripta â Barnaba: ſed â Johanne (Marco) de Barnabâ, vel hujus actis: de qvibus rectè Baronius ſcripſit ad a. D. 51. *illa multis & apertis mendaciis eſſe coagmentata*, ut mirum, illa â qvibusdam tanto applauſu excepta, qvæ, ipſius Baronii judicio, â nebulone fuerint ſcripta, non ab illo Johanne Marco, vel alio ſcriptore Catholico.

Acta Pauli & Theclæ.

§. 1. Hæc ſuppoſititia eſſe rectè ex ipſis Pontificiis notavit Melchior Canus l. 11. loc. Theol. c. 6. & longè ante hunc Gelaſius, qvi judicium libro appoſuit unâ voce: APOCRYPHUS. Nec obſtat, qvod Epiphanius uſurpaverit, & citaverit Acta Pauli & Theclæ: cum conſtet, Epiphanium (ipſo Baronio agnoſcente) *in falſa ſæpè acta incidiſſe*, nec ſatis γεγυμνασμένα αἰσθητήρια πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ habuiſſe, qvæ in Doctore vel perfectiore Chriſtiano Paulus reqvirit Hebr. 5. ult.

Teſtamentum 12. Patriarcharum.

§. 1. Extat illud *in Micropresbytico*, qvod ſcriptum, fuit ἀφορμὴ *Bibliothecæ Patrum*, in qvâ & habetur tom. 5, edit. 3, interprete *Ruberto Lincolnienſi* qvi de ſermone Græco in Latinum transtulit. Ut agnoverit tamen autor, eſſe Apocryphum, qvem adjiciendum putaverit in edit. 3. qvia â Margarino poſitus erat in edit. 2. Licet autem non deſint alicubi â vitio vehementes *dehortationes*, ad virtutem *inſignes adhortationes*, tamen alicubi illud ipsâ compoſitione ludicrâ, & laſcivâ (qvalis in hiſtoriâ *Rubenis & Joſephi*, illius cum *Bilhâ* uxore patris inceſtum committentis, hujus tentati ab *uxore Potipharis* multiplex occurrit) obſcuratur, ſic ut parum ibi ſive XII. tribuum capitibus, ſive Apoſtolis illius teſtamenti Depoſitariis, vel aliis viris Apoſtolicis, velut talis ſcripti concinnatoribus dignum reperiatur.

§. 2. Qvin & licet non inſolens Pontificiis, vel ex hoc libro arma contra nos præſumere, qvomodo hoc Patriarcharum Teſtamentum (ſed qvod ſalvâ pietate licet ἀκυρῶν ἢ ἀπιθεῖ·) â Coccio contra nos, *pro probandâ invocatione Angelorum*, citatum, tamen, ab ipſis Pontificiorum generoſioribus agnitus error fuit, & Teſtamento menſura Patriarchalis nominis ademta.

§. 3. Sanè *Johannes Maria ſancti palatij Apoſtolici Magiſter* Tom. 1. Ind. Exp. Rom. impreſſ. Rom. 1607. p. 185. *Liber* hic, inqvit, *apocryphus eſt, Pſeudepigraphus, fabuloſus & indignus planè qui legatur: multa enim continet partim erronea, partim vana & mendacia, nullo autore & fundamento ſubnixa, quæ facilè Lector diſcernet & repudiabit.* Approbatur hæc cenſura â Poſſevino appar. ſacr. voce: *Teſtamentum*. Inqviſitores Hiſpanici ind. exp. Hiſp. impreſſ. 1607. fol. 141. *Apocryphum* inqviunt, *ſcriptum eſt, cujus non liceat autoritati & dictis*

dictis fidere. Utut autem Apocryphum, vetuſtum tamen hujus tituli ſcriptum eſt ipſiq; Origeni lectum: ſed â Canocis ſcripturis longè diſtinctum. Citat ſanè homil. 15. in c. 11. Joſuæ: *In alio*, inqvit, *quodam libello, qvi appellatur Teſtamentum 12. patriarcharum, quamvis non habeatur in Canone, talem tamen quendam ſenſum invenimus, quod per ſingulos peccantes ſinguli Satanæ intelligi debeant. Omnes ſc. qui adverſantur Dei voluntati Satanæ poſſunt dici. Satanæ ſunt quioperantur opera ſatanæ.* Reſpectus Origeni fuit ad illa qvæ habentur in Teſtamento Rubenis, *de 7. Spiritibus erroris*, qvi ſe immiſcent 7. Spiritibus homini in creatione datis. Citavit qvoqve hoc ψευδώνυμον Patriarcharum Teſtamentum Procopius in comm. ſuper 38. cap. Geneſeos. Apparet autem ex ſuperioribus, qvo loco habenda ſit ἐπίκρισις Sixti Senenſ. in Bibl. l. 2. p. 112. *Patriarcharum*, inqvit, *Teſtamentum eſt liber pervetuſtus. Narrantur in eo plurima tum Prophetica oracula tum adhortamenta ad virtutem ac Dei cultum, quæ ſinguli Patriarcharum in extremo vitæ Dei advocatis ad ſe Filiis ac nepotibus elocuti ſunt. Multa quoque ex libro Henoch inſeruntur in illo vaticinia, de his quæ eventura fuerant Filiis ac nepotibus 12. Patriarcharum de futuris Hebræorum ſceleribus & pœnis, de mundi ſalvatore ab Hebræis occidendo, de Hebræorum everſione captivitate ac diſperſione inter gentes perpetuâ.*

PROCHORI liber.

§. 1. Inter ſeptem *Diaconos* â Collegio Apoſtolico confirmatos Act. 6, 5. tertius nominatur *Prochorus*, qvem *Chriſti & Johannis diſcipulum, initio Diaconum, inde â Petro Romam ituro factum Nicomedienſem Epiſcopum miraculis clarum, martyrio Antiochiæ fuiſſe coronatum, Sophronius* teſtatur & Martyrologium Romanum. Atqve huic Prochoro adſcribitur *narratio*, qvæ ſub ejus nomine extat in Bibl.

Patrum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

patrum tom. 7. n. 7. â p. 153. *de vitâ miraculis, & aſſumtione S. Johannis Apoſtoli*, qvamq; Scholiis illuſtravit *Renatus Laurentius de la Barre.* Nos utut *Prochori* alicujus recentioris illud eſſe ſcriptum non negamus: tamen, nec illius Prochori Diaconi, nec Apoſtoli vel ſcriptoris Apoſtolici: ſed illo reſpectu ſuppoſititium & apocryphum, pronunciamus. Nec, qvid in illo adeò lectu elegans, videmus.

§. 2. Facit pro hoc qvod nec ſtylus, nec narrationis δεινότης adſit, nec, qvicqvam adeò Spiritus hic Apoſtolici. Conſtat multis abſurdis, ſive fabuloſis, qvale, 1. qvod in eâ legitur: Petrum mox poſt aſcenſionem Domini in cœlum, indictis qvaſi comitiis Apoſtolorum in hortum Gethſemane, Oratorem Autoremq; fuiſſe ſortium, per qvas ſingulis Apoſtolis deſtinarentur regiones, in qvas abeundum, & prædicandum: cum conſtet Apoſtolos ex mandato Servatoris per inſigne ſatis tempus conſtitiſſe Hieroſolymis & ne ingenti qvidem illâ perſecutione qvæ STEPHANUM Proto martyrem habuit ac longè plurimos neci dedit, motos, ut Hieroſolymis emigrarent vid. Act. 1, 8. c. 8, 1. (2) *Johannem Apoſtolum & Evangeliſtam, cum ſibi Petro perorante, ſorte obtigiſſet Aſia, graviter id tuliſſe, vehementerq; ingemuiſſe, quin ad pedes ſe aliorum Apoſtolorum abjeciſſe, reprehenſumq; eo nomine à S. Petro fuiſſe, & deprecatum.* 3. Ibidem Johannes Petrum appellat *Patrem*, & ſingulis Apoſtolis in illâ legatione memoratur adjunctus *unus de LXX. diſcipulis*, prout *Prochorus Johanni.* 6. Scribitur in eâdem narratione, cum *Johannes ex ollâ ferventis olei illæſus exiiſſet, â fidelibus, qui illuc aderant, Eccleſiam Romæ ante portam Latinam in ejus honorē fuiſſe conſtructam.* c. 11. Mirum autem (addit Bell.) id *auſos in oculis ſævientis Domitiani.* 7. Occaſio *Evangelii* ſcripti dicitur fuiſſe *deſiderium Eccleſiarum in Pathmo intercedentium apud*

um apud Johannem ex Patmo diſceſſurum, & Epheſum abiturum, ut antequam abiret, Evangelium ſcriberet, quod factum in crypta montis c. 45, 46. At Evangelium, magno conſenſu veterum, dicitur ſcriptum â Johanne in ultimâ ætate, diu poſt Exilium Patmi. Teſtes qvippe Athanaſ. in Synopſi, Euſeb. l. 3. hiſt. c. 24. Epiph. hæreſ. 51. Hieron. l. de ſcript. Eccl. Victorinus & Primaſ. in expoſ. Apocal. Beda, Rupertus & alii expoſ. in Johan. *Evangelium â Johanne quidem in Patmo prædicatum: at diu poſt reditum, ex Pathmo Epheſi ſcriptum.* Illud memorabile, qvod notavit ſive verus ſive Pſeudoprochorus, *Apocalypſin propriâ Johannis Evangeliſtæ manu* ſcriptam vid. Hiſt. Proch. c. 47. *& tamen is ſe Johannis Notarium & Amanuenſem fuiſſe fingit* c. 46. (6) Ita illud de naufragio & periculo Prochori apud Seleyciæ Præſidem, ipſoq; Johanne Jonæ ſupplicium experto, & poſt 40. dies in litus projecto vid. c. 1. (7) De *Balneo* Epheſino, & in illo *Johanne incenſore*, *Prochoro aquæ infuſore* & utroq; ad templum Dianæ corā 3. teſtibus ſervo mancipato vid. ibid. Addatur (8) ſuperioribus illud: de *Jacobo Apoſtolo* in Collegio & Conſilio *eundi in orbem univerſum* proteſtante ſibi *ex mandato ſpeciali Dominico remanendū Hieroſolymis, velut Eccleſiæ illius Epiſcopo.*

§. 3. Nec deſunt alia fabulæ ſuppoſititiive argumenta qvale illud (1) de *Dioſcoridis* Filio â Johanne *in balneo ad vitam revocato*, ipſoq; *Dioſcoride* â D. Johanne reſuſcitato c. 3. (2) De ratione *Idoli Dianæ Epheſini* lapidum jactu comminuti, c. 4. (3) De *templo Dianæ Epheſino* in ſolenni totius populi panegyri â *Johanne funditus deſtructo*, & ſic *corruente ut nullus ex ingenti hominum multitudine perierit* c. 7. cum conſtet, â Nerone qvidem pretioſa dona omnia & ſimulacra inde ablata: ſed â Gothis, demum ſub Galieno invadentibus Aſiam templum ipſum penitus ſpoliatum & incenſum vid. Tacit.

 l. 15.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

l. 15. & Capitolinus in Gal. (4) De Johanne *in crypta montis extra urbem Prochoro Evangelium dictante, in cujus initio factum ſit fulgur ingens & tonitruum magnum, totusq; mons commotus*, de eodem Evangelio, dein per Prochorũ in membranas relato, & duplici adeò inſtrumento authentico per Prochorum Notarium adornato, uno in *membranis*, altero *in chartis*, qvorum illud fuerit depoſitum in Eccleſiis Patmi: hoc Epheſi. vid. cap. 46, 47.

§. 4. Unde & ipſi Pontificii ſive parũ fidei tribuunt, ſive apertè rejiciunt narrationẽ hanc, qvæ extat ſub nomine *Prochori Chriſto diſcipuli*. Bellarminus: *narratio*, inqvit, *videtur omninò conficta* Subdubitat idẽ, an fortè ſit liber ille, qvi ab Athanaſio in Synopſi recenſetur inter *Apocrypha*, ſub nomine *Circuitus* S. *Johannis*. Baronius autem, autorẽ *Pſeudoprochorũ* appellat, & *multa in eo ſcripto eſſe dicit, quæ ſint prorſus commentitia & fabuloſa, indigna, quæ ſuis chartis inſerantur. In multis Autorem mendaciſſimum fuiſſe convictum, nec, ſi qua vera fortè dicit, tutò poſſe affirmari*. vid. id. Annal. tom. 1. ad a. 44. n. 30. & a. 99. n. 4. Ita Lorinus in Act. 6. *Hanc*, inqvit, *narrationem qui ſcripſit, illuſtri ſibi autoritatem nomine facere voluiſſe videtur, ut non verus: ſed Pſeudo-Prochorus ſit*. Non aliter ſenſit Magiſter S. Palatii. Ind. Rom. lib. expurg. t. 1. p. 241. *Hiſtoria hæc*, inqvit, *de vitâ Johannis Apoſtoli falsò adſcribitur S. Prochoro, Diacono de ſeptem primis, & Chriſti diſcipulo. Eſt enim Apocrypha fabuloſa, & prorſus, indigna quæ legatur*. Approbatur hæc cenſura â *Poſſevino*, in *appar*. voce *Prochorus*, &, qvod mirum, inſerta eſt *Bibliothecæ patrum*, ubi ipſi narrarioni præfixa eſt talis cenſura: *Narratio* ſ. *hiſtoria de vitâ, miraculis, & aſſumtione S. Johannis Apoſtoli illi falsò adſcripta eſt*. Mirum ſc. notoriè fabuloſam & Apocryphã, Bibliothecæ S. Patrum eſſe inſertã, nec minùs mirũ aliqvando ab adversâ parte citatã ad probandum, qvomodo Coccius citat, ut pro-

ut probet, *crucis Chriſti ſignum vel ſolâ fidelium manu expreſſum, dæmonibus eſſe terrori, hominibus ſaluti.* Facit pro ſuppoſititiâ qvoqve, ipſa terminorum, qvibus articulos fidei exprimit, uſurpatio e. e. de 3. *in Deo hypoſtaſibus & unâ ſubſtantiâ* vid. c. 5. Cum notum ſit, qvomodo vocibus illis hypoſtaſiis & ſubſtantiæ variè uſa ſit antiqvitas, ut nunc illa eſſentiam, hæc perſonam & contra ſignificarit, ac inde Catholici in Deo aliqvando unam hypoſtaſin & tres ſubſtantias, agnoverint dogma Catholicum, & 3. hypoſtaſes, dogma hæreticū, vid. Conc. Sardic. Theodor. l. 2. hiſt. c. 8. Hilar. in expl. fid. Conc. Antioch: lib. de Syn. adeò ut primus ferè de illarum vocum diſtinctione diſſeruerit Hoſius Cordubenſis, & ne ipſa qvidem Synodus Nicena, qvæſtionem explicuerit de differentiâ hypoſtaſeos & ſubſtantiæ vid. Socr. l. 3. c. 5. Soz. l. 5. c. 11. Concluditur: ſcriptum eſſe recentioris longè Autoris, qvi hiſtoriam per manus traditam, multis jam fabulis immerſam pluribus auxerit, ac, ut autoritatem hiſtoriæ adderet, illius Prochori Diaconi Schema ſibi ſumſerit.

LINI narratio.

§. 1. Extat ſub nomine Lini, *unius ex LXX. Diſcipulis, poſtea B. Petri in Pontificatu* (juxta qvosdam) *ſucceſſoris* & *Martyris*, ſimilis narrationi Prochori narratio, conſtans 2. libris, uno ſub titulo: *B. Lini, Rom. Pontificis de paſſione B. Petri & Pauli ad orientales Eccleſias liber primus:* altero, de *paſſione B. Pauli, ad Eccleſias Orientales* lib. 2. vid. Bibl. Patrum tom. 7. p. 206. Sixt. Sen. l. 2. Bibl. Niceph. Xanthopol. l. 3. c. 2. Nec verò qværitur, *annon à S. Lino* cujus mentio 2. Tim. 4. 21. *conſcripta fuerint acta ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli?* ſed qværitur, an illa, qvæ ſub hoc nomine hodie extant, ſint genuina illius Lini? an verò, illis ſive olim extantibus, ſive non, hæc tanto nomini ſuppoſita

fuerint, atqve adeò libri *Apocryphi* i. e. ſpurii & ſuppoſititii? Reſpondet ipſa Præfatio in Bibl. patrum, edit. 3. *Libri illi falſò ſunt Lino adſcripti* vid. tom. 7. col. 151. & in hiſt. Chriſt. per Laurent. de la barre impreſſ. Pariſ. a. 1583.

§. 2. Idem judicium Bell. l. de S. E. eſſe *narrationem confictam.* *Narrat enim*, inqvit, *multa Autor de Actis S. Petri, quæ vel falſa vel dubia ſunt.* Talia ſunt e. c. 1. Necem S. Petri, Neroni ob conſilium non ſimplicis mortis, diſplicuiſſe, & in Agrippâ præfecto tunc urbis, â qvo occiſus Petrus, â Nerone factum improbatum eſſe. 2. Qvatuor Concubinas Agrippæ, nec minùs Xandippen uxorem Albini, ex conſilio vel doctrinâ Petri repudiaſſe thorum Viri ſui, reclamante licet marito, *& cum inſidias inde Petro ab Albino intentatas inaudiviſſet uxor Xandippe, miſiſſe ad Petrū nuncios, ut Roma exiret.* Hæc verò (ita de Xandippe rectè judicavit Bellarm.) doctrina S. Petri eſſe non poteſt, cum repugnet doctrinæ Coapoſtoli ejus Pauli 1. Cor. 7, 10. imò & Petro 1. Ep. c. 3, 5. 6. Nec auſus tale qvid JOHANNI tribuere Prochorus, qvi contrarium potiùs in Chryſippâ conſilium JOHANNIS notavit c. 21. ubi & ſumma marginalis hæc legitur: *Fides non dirimit matrimonium.* 3. Narrat autor contradictoria. Monitum â *Xandippâ* Petrum, ut Româ maturè exiret, & ſic inſidias declinaret: at, paucis lineis præcedentibus, meminit, *Petrum tunc compeditum in ſqvalidiſſimo carcere detentum. Ex quo tamen baptizarit ipſos cuſtodes*, inde ad crucem ductum, ſic *ut crucifixus fuerit pendens ſurſum.* 4. Ita Fabulæ adduntur circa martyrium Pauli de *ſtrophiolo* vel *Maphorte*, *Plautillæ*, de *apparitione Pauli mortui coram Nerone*, Petri coram Marcello.

§. 3. Nec Bellarminus ſolùm loco alleg. & l. 2. de R. Pontif. c. 9. ſed & Baron. ad an. 69. num. 6. a. 80. num. 4.

Poſſevinus

Poſſevinus in apparatu ſacro voce *Linus*, & *Johannes Maria, Magiſter S. Palatij, Ind. Rom. libr. expurg.* tom. 1. ac *Claudius Eſpencæus* l. 6. de contin. c 2. improbant, ac mendoſum erroribus non paucis aſperſum clamant. Prout contrà probant & citant Autor Legend. aur. (in vit. Petri) pro defendendo *magno certamine S. Petri cum Simone Mago*, Sixt. Senenſ. Bibl. l. 2. in paul. & *Salmeron* in comm. ep. Philipp. c. ult. ut fidem concilient *Epiſtolis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum*. Nec enim alia magis autoritas, qvàm hæc acta paſſionis Pauli, nomine Lini conficta impoſuerunt *Sixto*, vid. infrà in tit. de Epiſt. Pauli & Senecæ. Citat qvoqve *Linum* Coccius tom. 1. l. 5. de Sanct. Eccl. art. 9. p. 512. ut probet: *animas ſanctorum viventibus aliquando apparere, & ignota quædam revelare:* qvin ſic hæc acta nomine Lini de paſſione Petri ſcripta, placuerunt *Jacobo Fabro*, ut miratus fuerit Cl. *Eſpencæus* l. 6. de cont. c. 2. *non indocto ſanè Viro, nec nullius alioqui naſi placuiſſe illa Pſeudo-Lini matronas Romanas à virorum thoris pudicitiæ prætextu abducentis.* Sed ſunt plurima alia in narratione illâ qvæ non magis merentur fidem, qvàm qvod in regiſtro *Gregorius* & in legendâ ſanctorum *Petrus de Boragine* notavit, ſc. cum ſanctorum B. Petri & Pauli Apoſtolorum in puteum fuiſſent conjecta corpora, nec dein ubi à fidelibus educerentur, diſcerni poſſet, qvænam eſſent alterutrius oſſa, auditam de cœlo vocem: *Majora ſunt piſcatoris, minora prædicatoris*. Concludendum: Aut nunqvam extiterunt ſcripta Lini de actis paſſionis Petri & Pauli, aut, ſi olim extiterunt, perierunt, & præſentia ſuppoſita vetuſto nomini & melioribus ſcriptis ſunt, aut ſi adhuc, in illis, veteris ſcripti qvædam λείψανα ſuperſunt, hæreticorum tamen ſic ſunt fuligine, aliisq; commentis infecta, ut vix qvicqvam ſinceri, qvodq; certò affirmari poſſit, illius *Lini ſanctioris* eſſe, reperiri poſſit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

Evodius.

§. 1. Hunc â Petro ordinatum *Epiſcopum Antiochenum*, tradit Nicephorus l. 2. hiſt. Eccleſ. c. 35. ſic tamen, ut dein eandem *Eccleſiam regendam* commiſerit Ignatio, qvin, apertè Nicephorus libro 3. c. 2. *Antiochenam*, inqvit, *Eccleſiam primus poſt Petrum & Lucam, Evodius gubernavit: ab hoc ſecundus fuit Ignatius.* Et hoc qvidem ex Euſebio l. 2. c. 16. transſcripſerat Nicephorus. *Primus*, inqvit, *Antiochiæ Epiſcopus fuit Evodius, ſecundus Ignatius.* Tacet autem Euſebius de ſcriptis.

§. 2. De *Evodio* ante *Ignatium* (velut Hieronymi qvoqve in libro de ſcriptor. Eccl. judicio, tertiũ) *Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo* magnus multorum veterum conſenſus eſt, nec tamen ſine paucorum contradictione. Sanè, ſi revera Ignatii illius eſſet, qvæ ſub tanto nomine fertur, *Epiſtola ad Antiochenos*, nullum foret illâ de re dubiũ, qvippe in qvâ Ignatius: *Mementote*, inqvit, *beatiſſimi Patris veſtri Evodij, qui primus poſt Apoſtolos gubernacula veſtræ Eccleſiæ ſortitus eſt.* Licet autem Origenes hom. 6. in Lucam non habeat qvicquam de *Evodio:* nec adeò teſtetur (prout Baronius citat, annal. 71, 11.) *Ignatium, poſt Evodium absq; ullâ dubitatione tertio loco rexiſſe Antiochenam Eccleſiam*: ſed ſaltem, pro dogmate: *quod principem ſeculi hujus latuerit virginitas Mariæ* alleget *Ignatium ſecundum poſt Petrum Antiochiæ Epiſcopum*, tamen *ſecundus* poſt *Petrum*, ſupponit *primum*, qvem Euſebius qvoqve & Hieronymus agnoſcunt nonniſi hunc *Evodium.* Apertè ſanè Euſebius in Chronico: *Anno Claudij Imper. III. Agrippæ Senioris VI. DOMINI XLIV.* primus *Antiochiæ Epiſcopus ordinatur EVODIUS. Notaverat idem, ad a. Domini 43. Claudij 2. Petrum Apoſtolum, cum primùm Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam miſſum, ubi XXV. annis Evangelium*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

angelium prædicans, ejusdem Urbis Epiſcopus perſeveraverit, de qvibus, ut & illo inſigni dubio, qvomodo *primus Evodius*, ſi primus *Petrus*, vel juxta Chryſoſtomum, *Ignatius* ab ipſis Apoſtolis ordinatus Antiochenus Epiſcopus, & qvomodo potuerit an. 2. Claudii Romam venire, ibidemq; Epiſcopus per 25. annos perſeverare, qvi tunc in Palæſtina? prolixè Baronius: ſed qvia ad Principatum Monarchicum Petri, vel Romanorum potiùs ſub perſonâ Petri Pontificum cuncta lenociniis Rhetoricis magis, qvàm argumentis Theologicis & fundamentis hiſtoricis trahit, prudenter legendus in annal. ad a. Chriſti 39. n. 12. & ſeq. ac de Evodio n. 18. 19. & ad a. C. 45. n. 12. 13. 14. Conferatur autem de his Scaliger in animadverſ. Euſebianis p. 174. & notetur in Euſebii Chronico Græco id non reperiri, qvod habetur in Latino ad a. D. 43. & prout ex hoc citat Baronius: ſed ſic ſaltem: πέτρος ὁ κορυφαῖος τῶν ἐν ἀντιοχέια πρώτην θεμελιώσας ἐκκλησίας εἰς Ρώμην ἄπεισι κηρύσσων τὸ Εὐαγγέλιον: nihil hîc de Epiſcopatu Romano, & 25. illis annis.

§. 3. Sed nec illas controverſias excutere nunc nobis inſtitutum, nec illam de martyrio Evodii, in qvo cum inſignis veterum conſenſus ſit, de tempore tamen & occaſione ac genere martyrii nihil certi, Conf. Martyr. Rom. d. 9. Maji Menolog. d. 7. Septemb. Baronii, qvi annum Martyrii ponit Chriſti 71. Veſpaſ. 1. ſupputatio non cogit: nec qvicqvam pro illâ habet Euſebius ſive in Chronico, ſive hiſt. Eccl. ad cujus utriusq; tamen loca hîc Baronius provocat: nec perſuadet ſatis, occubuiſſe in illâ perſecutione Antiochenâ, qvæ ſub adventum Imperatoris, â Gentilibus ibidem mota in Judæos, allegato Joſepho de bello Judaico l. 7. Miſſis autem his redimus ad ſcripta, vel horum potiùs fragmenta. Citatur Evodii nomine ſcripta Epiſtola, cui titulus: Lumen: qvæ tamen toti vetuſtati ignota, â fabuloſiſſi-

mo Ni-

mo Nicephoro primò fuit citata, cui adeò hîc non plus fidei, qvàm in altero illo, qvo ſcribit, parvulum illum, qvem tenellum Diſcipulis Chriſtus, humilitatem his commendaturus, exhibuit, Matth. 18, 1. 2. 3. fuiſſe parvulum Ignatium, Evodii ſucceſſorem vid. Niceph. hiſt. l. 2. c. 3. Citat eundem Evodium Nicephorus & utrumq; Baronius in apparatu, probaturus inde: *Mariam anno 15. ſuæ ætatis Chriſtum Dominum peperiſſe.* Habentur ibi pluſcula de *Mariâ trimulâ, ſacerdotum ſub cuſtodiâ in ſancto ſanctorum per 11. annos ſervatâ* tandemq; *Joſepho traditâ*, in cujus cum contubernio *4. menſem ageret*, nuncium illud â Gabriele acceperit, fore ſe θεοτόκον, qvæ & pepererit Chriſtum *die 25. Decembr.* Hæc, de die inprimis natali, incerta antiqvitati ipſi, & illa de aſſervatâ Mariâ in S. ſanctorum fabuloſa, nemo non videt. Baronio tamen hæc omnia probantur.

§. 4. Suppoſitítiũ probamus 1. ex ſilentio Hieronymi, Euſebii, omniumq; retro veterum, qvi cum Magiſtri fuerint ſacrorũ ſcriniorum, præterituri haut fuiſſent, ſi talem Evodium ſcriptorem reperiſſent: qvia illorum, vel Photii qvoqve accuratam inqviſitionem ſcriptum tam vetuſtum vix effugere potuiſſet, minùs ſanè, qvàm vel poſterioribus ſeculis Euthymium, & Nicephorum, qvi primi facilè meminerunt. 2. Evodius ille inter Chriſti mortem & Stephani Martyrium annos computat ſeptem, qvo nomine & Baronio in ann. a. C. 34. vid. id. in not. Martyrolog. 8. Auguſti & 26. Decembr. & Lorino comm. in Act. c. 7. p. 385. vapulat: *Longiùs*, inqvit *Lorinus, aberrant à veriſimilitudine Hippolytus Thebanus & apud Nicephorum Petri in ſede Antiochenâ ſucceſſor Evodius*, qvi dicit, *anno poſtquam ordinatus eſt Stephanus in Diaconum ſeptimo, lapidibus eum occubuiſſe.* Addatur 3. de S. Cœnâ inſtitutâ â Servatore in domo Johannis & 4. de Chriſto ſuis manibus baptizante Mariam matrem, & Petrum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

Ad Praſtantiſſimum

DN. RESPONDENTEM,

diſſertaturum

De

SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

THEIOLOGI terris vix eſt venerabile nomen
Et tamen hîc ſummæ Cognitionis opus
Hîc Orientis epos varium, Latiumq́ʒ, miniſtrat,
Hîc artes Grajas publicat atq́ʒ Sophos
Contribuit decus omne ſuum cælumq́ʒ ſolumqʒ
Quo ſine per pelagus non dare vela licet
Hîc Moſes, quo non Veterum ſublimior alter,
Seu Geneſin, Sethum, diluviumve canat.
Sive rubos flammasve rubi, Dominumqʒ tonantem
Exodici ſacri myſtica mille ſonet
Sive tonet leges, Sinai præcelſus in arce
Unde redit vultu fulgidiore magis
Sive focos pecudesve ſacras, preſſosq́ʒ columbos
Pollice, thus, oleum, ſed ſine melle, legat
Seu numeros, vexilla, tubas & murmura, caſtra
Sive novo populo jus tonitruqʒ ferat.
Hîc ſacer ipſe Prophetarum Chorus omne movebit
Punctum, nec minùs his totus Apoſtolicus
Quos verſare manu nocturnâ, voce diurnâ
Eſt Conſultoris nobilis illud opus
Quid memorem veterum ſcriptorum nomina mille
Quid Canones, Synodos, hæreticosq́ʒ vafros.
Quamq́ʒ dolos dirumq́ʒ nefas in pectore verſent?
Cetera quid ſtudij nomina ſacra canam?
Pondus ineſt cunctis, decus admirabile rebus
Prima venit ſtudio debita palma ſacro

Quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684

Quod quanto cœlum terris, divina caducis
Præſtant, naturæ divitias ſuperat.
Poſtulat hoc ſoles, vigilatas plurima Lunas
His ſine vix aditus ad ſacra celſa patent
Ambubajarum procul hinc Collegia, Mimæ,
Morte Tigellinâ quod genus omne dolet!
Et vitanda magis loca, queis fera turba moratur
Vel quæ Fuſidij cum balatrone tenent.
Materies magni conſtat cuicunq; triumphi
Si domet & ponat fræna cupidinibus
Vincere quas motas non eſt victoria parva
Nec, quamvis careat ſanguine, laude caret.
Crede triumphales meret hæc victoria lauros
Vincere ſe, plus, quàm vincere regna Lybis
JAN-HUDEMANNE, Patris celebrati florida proles
Certa ſub hoc quoque Te Numine palma manet.
Te ſacer ardor habet, tibi flammas nominis addit
Qui Patris egregij te magis urit amor
Ad Cathedramq; vocat Reſpondentemq; ſonorum
Audiri noſtræ poſcit, avetq; Roſæ.
I Felix, quò te propriæ vocat indolis ardor
Egregium præſta te, velut opto, Virum!
Qui poterit ſtudiis attollere nominis ævum
Cum moritur, Phœnix naſcitur ipſe ſibi.

Honori & amori erga DN. Reſpondentem, Convictorem æſtimatiſſimum qvod debuit
L. M. Q.
Auguſtus Varenius.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-371 4° 1684